


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [1] - -

PUBLIC DOMAIN


Leibn. Marg. 72

Randnoten
von Leibniz

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

vgl. Schurtz, de atheismo
eradicando, Argentor. Vandeli-
corum 1669, I. 131


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [2] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [3] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [4] - -


PUBLIC DOMAIN

THEOPHILI SPIZELII
Ecclesiastæ Augustani

CONSIDERATIO CORPORIS GLORIOSI.

NORIMBERGÆ
IMPENSIS GEORGII Wildeisen/
Bibliopolæ Ulmensis.
Literis Christophori Gerhardi.
cIↃ IↃc LXII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [5] - -
PUBLIC DOMAIN


REVERENDI
ATQ; CL
V
ON. IO.
CHRIST
I.L.M ECCLI
FESSIONIS AU
D. IAC. PAS
MERI
On
câ h
cor
gul
per
dum favore ta
plicatum imò
tam, ut cui &
& majora de
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [6] - -
PUBLIC DOMAIN

REVERENDE ADMODUM
ATQ; CLARISSIME
VIR
DN. IO. IACOBE
CHRISTMANNE,
A. L. M ECCLESIÆ ET CONFESSIONIS AUGUSTANÆ AD
D. IAC. PASTOR LONGE
MERITISSIME,

NOn temerè publicâ hâc προσφωνήσει Te compello, cum singulari Tuo ac stupendo propemodum favore tantoperè me implicatum imò sublevatum sentiam, ut cui & plura debeam, & majora debere velim, si à

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [7] - -
PUBLIC DOMAIN

Deo & Parentib9 diſceſſero quã Tibi, certè haud inveniam. Ab eo inſuper tempore, quo familiaritas inter nos culta fuit, non amorem ſolum ſenſi conſtantiſſimum, verũ luculentiſſimos etiam affectûs egregij characteres deprehendi.

Acceſſit non ita pridem mutui amoris ejusmodi vinculum, quo arctius ullum inter Chriſtiani Nominis Profeſſores inveniri poſſe haud facilè crediderim, cum Numinis Supremi nutu illius ejusdemque etiam Eccleſiæ cura nuper mihi demandata fuerit, cujus tu PASTOREM agis longe meritiſſimum, unde à Civili quidem, quantumvis Sacro-ſanctâ neceſſitudine ad omnium ſanctiſſi-

ctissimam illam Ecclesiasticam transitus à nobis factus, & nexui (ut ita dicam,) glutinum est & superinductum.

Non enumerabo nunc egregia Tua in Ecclesiam Patriam merita, quippe adeò conspicua, uti latere non possint, nisi eos, qui in ipsa quod dicitur Patria peregrinantur. Unicè abs Te Fautorum Maxime, jã peto atq; contendo, ne asperneris, sed sub tutissimo Beneneris, sed sub tutissimo Benevolentiæ tuæ clypeo in publicum prodire patiaris parvum hunc mole libellum, quo etsi nomen omne expungere neutiquam valeam, quum in ære Tuo me semper futurum agnoscam; erit tamen pars aliqua debiti utcunq; persoluti, quam si non

si non propter authorem, attamen propter argumenti nobilitatem pariter ac sublimitatem placituram planissimè mihi persvadeo.

Hoc si arrhabone favorem atque benevolentiam Tuam, porrò servavero, votorum meorum summam ero consecutus. DEUS TE SERVET, Vir Venerande, Ecclesiæ nostræ, familiæ laudatissimæ, ac mihi denique quam diutissimè.

Augustæ-Vindelicorum,
Kal. Sept.
cIↃ IↃc LXII.

Plurimum Rever. Tuæ
Dignitat.

addictissimus

Theophilus Spizelius,
V. D. ad D. Iac. M.

AMICÆ L

Um ultim
præsenti
OSORU
imposita
AUGUS
me convenit Nobilissi
Excellentissimus D. H
US, in Academia Iulia
Professor, Vir, & Majo
verrimorum gloria, &
propria maximè consp
dia sive adfecta sive co
MOSI CORPORIS co
tem, de quibusdam stat
nicorum artificijs, qu
ctionem Naturalibus
adducuntur atq; jac
temporis, nec itineris
Symphilologiam uber
ἐυσταλὲς hâc de re jud
quam eruditè per lite
gressu exaratas,)
rum amœnitate, & re
nec tibi forte LECT
tas, luce etiam digni

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [10] - -
PUBLIC DOMAIN

AMICE LECTOR,

CUm ultima propemodum manus præsenti CORPORUM GLORIOSORUM Considerationi esset impositа, oportuné admodum AUGUSTÆ VINDELICORUM me convenit Nobilissimus Clarissimus atque Excellentissimus D. HENRICUS MEIBOMIUS, in Academia Iulia Artis Medicæ designatus Professor, Vir, & Majorum suorum longè celeberrimorum gloria, & virtute eruditioneque propria maximè conspicuus. Cui cum inter alia sive adfecta sive confecta hanc ipsam GLORIOSI CORPORIS considerationem exhibuissem, de quibusdam statim differere cepit Chemicorum artificijs, quæ à nonnullis Resurrectionem Naturalibus φαινομένοις illustrantibus adducuntur atq; jactantur. Cum verò nec temporis, nec itineris MEIBOMIANI ratio Symphilologiam uberiorem admisisset, ἀκεραιότερον hâc de re judicium prolixè non minus quam eruditè per literas (à primo Patavij ingressu exaratas,) aperuit. Quas, & verborum amœnitate, & rerum ubertate refertissimas nec tibi forte LECTOR BENEVOLE ingratas, luce etiam dignissimas judicavi.

THEO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [11] - -
PUBLIC DOMAIN

THEOPHILO SPIZELIO
Suo Musarumque Corculo
S. D.
Heinricus Meibomius.

UT vehementiora sunt animorum desideria, quando oculorum perdidêre solatia: sic gravius quoq; afficimur, cum amicorum, quibus diu caruimus, ex intervallo frui liceat consortio. Hoc ego expertus nuper, nescio an Tu quoq;. Cum enim nefas ducerem Augustam Te insalutato transire, non solum more politissimæ gentis omnia humanitatis officia hospiti exhibuisti, sed etiam, quod mea inter vota noveras esse præcipuum, aditum ad locupletissimam vestram Bibliothecam fecisti. Quo nomine & Tibi & Cl. Viro Matthiæ VVilhelmo, dignissimo Hæschelij Ehingeriq; inasservandis illis cimelijs successori, omnia minima maxima debeo, quod non lustrare solum MStos Codices, quanquam & hoc multum est, sed uti

uti frui quoq; illis licuerit. Cognatus quoq; Tuus **Iohannes Baptista Schorerus**, juvenis elegantior incertum an doctior, Tuo exemplo incitatus, omni me adfectu demereri studuit. Sed omnium jucundissimum fuit consortium Tuum, quo & ante actorum memoriam refricare, & de modernis Orbis litterati studijs, quorum Tu peritissimus, non incuriosus ego, conferre licuit. Tum verò, sumpta audaciâ: quid, inquam, Tuæ indefessæ Musæ nunc muginantur? Ostendisti cum alia sacram profanamq; antiquitatem spectantia, tùm adfectum de **Corpore Glorioso** tractatum: quem quidem, quantum ex fugitiva inspectione conjicere licuit genium habiturum non vanus vates auguror. Dicta interim nonnulla sunt ultro citroq; eapse de materia, cum Tu: Bonum factum, inquis, quod in hunc sermonem incidimus, ubi Tuo mihi, optime Meibomi opus erit judicio. Nosti à nonnullis, dum Resurrectionem naturalibus Φαινομένοις illustrâre conantur, adduci artificia quædam Chemicis usitata, quibus plantarum ex cineribus suis restaurationem promittunt. Quid in illa re veri esse pu-

tes, velim cognoscere. Dixi tùm sententiam meam, non esse scilicet temerè illis experimentis jactatis adhibendam fidem: sed, quod discessus mei tempus instaret, ut proximis ad Te litteris meam ea de re conceptam sententiam transmitterem, amicè, hoc est, θεϱαλικῇ παϑανάγκῃ rogasti. Non potui denegare, cum quod à multis, dum de resurrectione agunt, adduci scirem, ut fecit Georgius Calixtus, Thomas Brounein Relig. Med. & quem ex Tuo, cum in Belgio sub eodem contubernio jucundissimè viveremus, dono possideo in Theumenia sua Petrus de Castro, antea Ezechiel dictus, ex Iudæo Christianus, nunc Ducis Mantuani Archiater: tum quod ex arte Medica, cui me post alia studia addixi, certius quid determinare posse, viderer. Quæ igitur ea de re desultorius ex itinere, sine ullo librorum, ne adversariorum quidem meorum subsidio, solius memoriæ beneficio, consignavi, paucis accipe. Non tangam autem ea, quæ sparsim ingeniosissimus Kircherus, & in sua de Hermetica Medicina ὁ πάνυ Conringius, aut in notis ad Religionem Med. nobilissimus Vir Nicolaus Moltkenius annotarunt.

Vererer

Vererer enim, ne argutulus quisquam ea in me jactaret: Κρῆς θάλατταν ἀγνοεῖ? Tibi per omne eruditionis genus se diffundenti & hæc esse lecta scio & multa alia. Restabit solum, ut ea quæ ipse observavi, & arti nostræ quasi propria sunt, & non nisi in Chemicorum libris (si modò illi Tuam φιλοβιβλίαν effugiunt) reperire est, Tibi proponam.

Varia autem sunt, quæ jactant experimenta, non circa plantas tantum, sed animalia quoq; ipsum denig; hominem, facta. Et Plantas quidem quod attinet, variè ibidem varij se expediunt. Nonnulli comburunt herbas & dein cineres seu sal ex cineribus earum extractum aquæ permiscent, congelarig; aquam sinunt: & in glacie herbarum conbustarum imagines speculantur. Videre hoc est apud Querceta-num in libro de Verit. Hermet. Medic. Iob. Daniel Horstius in Epist. ad Iob. Schroderum testatur sibi à D. Georgio Molthero, Medico Wetzslarienſi relatum, quod non semel viderit urticam in aqua congelata. Alij in aquarum destillatione aut salium sublimatione figuras illas herbarum apparere ajunt

re ajunt. Schroderus Pharmacopeæ ſuæ Medico-Chemicæ l. 3. in princ. ſcribit, certa quadam operatione Sal abſinthij elevatum alembici lateribus adhærendam plantam ſuam dilucidè repræſentare. Mihi à Chemico relatum eſt, erebinthinam Laricem, ignis, ope volatiliſando, dum ſeſe elevat, Laricis, cujus reſina eſt, figuram exacte exhibere. Alij in cineribus ſalibusq; ſervant plantarum formas, quas cum volunt ad lucernæ teporem ſe excitare poſſe dicunt. Huc pertinet illud, quod in Magia Naturali jactatur, candelas ex vitis ſucco & leporini capitis cinere certo modo confectas accenſasq;, exhibere in pariete effigies vitium & leporinorum capitum. Mihi eſt, inquit Horſtius, l. c. ſal abſinthij, cujus ope, vera loquor, totum abſinthium Tibi ponam ob oculos. Inter remedia, quæ ex Sereniſſimi Ducis Mantuani Ferdinandi Chirographo produxit Ioh. Baptiſta Spontonus, recenſetur modus, quo ſemen cujuscunq; herbæ pulveriſatum rori exponitur, mox rori deſtillato & ſale ſuo fixato miſcetur, vitreoq; vaſi includitur & certo tempore digeritur, quod dein radijs Solis aut cine-

cineribus calidis admotum floris ideam manifestat. Guido Brossensis Regius quondam Parisijs Botano-Chemicus plantæ alicujus aquam, salem & spiritum requirit, ijsq; commistis & terræ mandatis, debitoq; calore fotis, revocari scribit formam plantæ in illis partibus sopitam & latitantem, denuoq; vegetiorem & elegantiorem crescere ac germinare. Ezechiel de Castro, qui hæc experimenta admittit, & sæpius experientia (sua an aliæ incertū) comprobata scribit in suo de Igne Lambente commentario, meminit ibidē Socij cujusdam de Formentieres, cujus tamen nihil hactenus ea de re videre licuit. Interim consuli possunt Libavius in Chemicis: Highmorus in Anatomia, ubi de semine agit: Vigenarius in tr. Gallico de Igne & Sale. Petrus Borellus in Observationibus Medico-Physicis.

Circa Animalium figuras restaurandas non tam liberaliter suas jactant experientias. Horstius tamen Epist. cit. testis est, sibi in aqua stillatitia spermatis ranarum, imagines earundem aliquando fuisse repræsentatas. Et Parisiensis Medicus Certain, retulit Cl. Schrodero, Medico Francofurtensi satis celebri, sibi in maceratione cineris

cineris cancrorum insperato apparuisse figuras cancrorum tam perfectorum, quàm imperfectorum in liquore natantium. Et in perfectorum animalium ossibus idem accidere refert Robertus Flud de Fluctibus. Quo & referri debet illud quod à veteribus Medicis observatum legimus, nempe in demorsorum à cane rabido urina apparere imagines Catulorum.

Ipsius hominis effigiem tali modo restaurari posse præter unum Gaffarellum, forte dixit nemo. Is tamen in cribro suo Cabalistarum spectra, quæ in Cœmeteriis apparent, nil aliud esse putat, quam figuras corporum compactas ex effluvio miasmatum de putri cadavere elevatorum, quæ in aere nocturno, utpote crassiori, facilius hærent. Sed tempus est, ut ea, quæ hactenus dicta examinem.

Possem autem, quod & ante me fecerunt alij multorum fidem vocare, in dubium, possem Polonum illum apud Quercetanum Magiæ accusare, à quo tamen nescio an non primitus hæc, omni antiquæ Hermeticæ scholæ ignota doctrina orta sit. Sed non placent nunc ista arma. Per me au-

reã

rei sint. Quin potius, ratione & experientia duce ostendam, quid me moveat, cur illarum formarum resuscitationem pro Non-Ente Chemico habeam. Amo admodum Chemicos, qui naturalium corporum compositioni & resolutioni intenti magnam nobis ubiq; lucem adferunt, sed cane pejus & angve odi illos, qui ultra fornaculas suas non sapiunt, provocantes ad sensum, reapse exsensi. Multa mihi ex allatis licuit experiri, sed nunquam talicum effectu. Miscui cineres, miscui sales herbarum aquæ glaciandæ, sed nunquam figuræ illius vel volam vel vestigium observare licuit. Terebinthinam toties & destillavi & destillari vidi, sed curiosos meos oculos Laricis figura effugit. Si tale quid revera contingit, cur non semper contingit? cur non omnibus hoc herbis commune est? cur urtica & absinthium hic prævalent? neque enim temerè ipsi illi artifices omnibus hoc tribuent herbis. Quoties destillatur sperma ranarum, quoties macerantur cancri, nec tamen tale quid observatur? Paravi ex Varijs herbis salia volatilia, sed nunquam alias figuras observare potui, quam in urinæ

ave

aut cornu cervi ſale volatili: imò ne certas figuras quidem, niſi quas ipſe mibi, coaleſcentibus binc inde lineis, imaginatus, ut ſtellarum ordinem Aſtronomi, terrarum poſitus Geographi certis figuris aſſimilant. At certo modo dicent debere præparari, & ſuccedere ſemper. Hoc ſanè regerere non debent illi, qui caſu tantum in conſueta deſtillatione tale quid obſervarunt: reliqui autem iraſci juſtè non poſſunt, ſi tamdiu illas figuras ſuſpectas habeam, donec prodant modos ſecretos, ſibi ſolum cognitos? Tunc enim & mibi & cuivis alteri hoc explorare liberum erit. Hic enim ex cineribus, ille ex ſale fixo, alius ex volatili, alius ex ſale, oleo & ſpiritu, alius denig, ex ſemine deducit. Annon vel ſola fratrum diſcordia hæc ſuſpecta poſſet reddere? Dudum eſt, quod in re naturali credere dedidici, dudum eſt quod Chemicis, quorum ratio, neſcio quo ficti Hermetis teſtamento mentiendi prærogativam nacta videtur, rariſſime ψεύδει συγκεράσας τὸ δ' ἐτήτυμον, ut loquitur alicubi Nonnus meus. Gaffarellæ vero ſententia, ut conjectura tantum eſt, ita per ſe concidit apud illos, qui de ſpectris adeo-

que

que omni ſpirituum apparitione meliora ex Sacro Codice docti ſunt.

Quid? quod nihil aut frequentius aut facilius eſt, quam viſum noſtrum fallere & falli. Quæ non ebrij ſibi ſomnia fingunt, cum jam vertigine tectum ambulat, & geminis exurgit menſa lucernis? Catuli ſane illi, qui in demorſorum à cane rabido urinis apparent, delirantium ſomnia ſunt, ut alias oſtendimus. In tenebris & umbra vigilantibus nobis variæ formæ occurrere videntur, ings media luce hippocentauros & chimæras nobis in nubibus fingimus, ut loquitur 2. de divin. Cicero. Quinimo & integri ſæpe exercitus digladiantes narrantur in aere viſi, quæ prodigia non temerè credere debemus hominibus ſuperſtitioſis, non minus quam infantis aut aurigæ effigiem, quam in ignibus fatuis apparere ſcribit Miraldus. Quis eximat plebejis ingenijs illam opinionem, qua in Luna ſtare hominem armatum, aut, ut ex pictorum fictionibus alij ſapiunt, faciem hominis credunt. Et regnat profecto inter Chemicos vulgaris quædam & plebeja ſuperſtitio, ne dicam ſtultitia, etſi eos interdum ſupercilium

lium & noctis colore infectæ manus pro Sapientibus venditent.

Sed propius hanc rem intueamur, necesse est. Nolo dicere nunc, mentitos omnes, aut fugitivo oculo lustrasse illa naturæ abdita, cum Virorum quoq; suis in Remp. Med. meritis venerandorum auctoritates produxerim: id tantum urgeo, nullam esse sequelam hanc: In hujus illiusq; materiæ destillatione, maceratione, elixivisatione appareret figura illius herbæ, unde est; Ergo ex principio suo formali adhuc residuo resurgit ac revivisçit. Sit sanè verum illud, etsi nunquam à me observatum, de quo ante dixi, Terebinthinam, dum destillatur, Laricis figuram exhibere. Hactenus in cineribus, salibus, oleo spiritu & semine quæsivimus, nunc ex resina quoq; integra arbor reviviscet? Marrucini, fatui, simplices quærendi sunt, quibus id persvadeatur. Vidi ipse aliquoties in Balsami Sulphuris præparatione arborem elegantem cum ramis repræsentari. Dices fortassis illam quoq; Laricem esse, quia Balsamus Sulphuris ex Terebinthinæ spiritu & floribus Sulphuris componitur: Sed cur eodem ferè modo arbor argentea surgit, dum

argento

argento aquâ forti soluto cum pauca aqua argentum vivum adjicis, quod vulgarius nunc experimentum est, sicut rarior, quæ nuper ab Hamburgensibus Chemicis erigi cæpit arbor aurea. Possint lepidi illi argumentatores hinc etiam concludere, esse Mercurium & Lunam, ex arbore aliqua exstillantes liquores, quia illius figuram in sui crystallisatione non injucunde exhibent.

Non tangam nunc varias figuras, quas res quædam appetunt, partim occultiore instinctu, partim casu, & lusu, ut ita dicam, naturæ: Casu fit, quod in tales & tales figuras scindantur arborum radices, & tamen vidi apud Amicum particulam radicum quercus, quæ ex actissimè referebat omnia corporis nostri membra: quo ipso ad suas impostoras abutuntur agyrtæ. Possem Tibi, Amicorum optime, exhibere miras quas in lapidibus natura expressit, figuras, pontificalis coronæ, Episcopalis birri, Solis & Lunæ, ut depingi solent &c. quis illa impressit? Ludens natura, quæ in marmore Eremitam & Turcam produxit, ut Pisis in templo D. Iohannis videre est. Quid? quod in certis locis certæ figuræ lapides inveniuntur, ut prope Francofurtum cochleari formæ, & hîc in Italia multis in locis. Mihi hæc ultima aliam cogitandi occasionem dederunt, consideranti insuper, quomodo in varias figuras glacies, quædam salia in certos & determinatos abeant crystallos: aliud rei illius principium est, quàm quod à demortua vi plastica petunt illi

Sed

Sed hæc hujus loci non ſunt & pluribus alias illam rem omnem perſequemur. Tu ſi plura de illis naturalibus rerum figuris cognoſcere cupis, legere poteris, quæ ſparſim Carteſius & Gaſſendus, & de nivis figura in Meteorolog. Cabeus, in triplici Philoſophia Marrotta, Bartholini fratres & nuperrime Athan. Kircherus in eleganti exercitatione de figura crucis Neapoli alibiq; ſuperiori anno in veſtibus obſervatâ, diſputarunt.

Ego ex his tibi puto conſtare, non eſſe illis relationibus omnibus temerè adhibendam fidem, hominum quoque ab impoſtura alienorum potuiſſe decipi viſum, & denique ſi maximè talis figura obſervata, non indeſequi, eam ex reviviſcente forma habere ortum: quo omnia in hac exercitatione allata tendunt. Vellem me aut meliora ex alijs potuiſſe adferre, aut pluribus inſtructum fuiſſe experientijs, ſed nec illud itineris mei anguſtiæ permittunt, nec hoc expectari debet à juvene, quiq; ſtudijs ſuis medicis elegantioribus alijs multum temporis præripit. Interim mihi ſuffecerit, ſi hanc tuæ curioſitati inſerviendi promptitudinem in acceptum retuleris, & genus aliquod referendæ gratiæ autumaveris, ſi voluntati tuæ paruerim. Vale. Dabam Patavij. Prid. Non. Ianuarij. Anni MDCLXII. quem tibi feliciſſimum ex animo precor.

THEO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [24] - -
PUBLIC DOMAIN

I.

THEOPHILI SPIZELII

CONSIDERATIO CORPORIS GLORIOSI.

I.

CIrca CORPORIS GLORIOSI consideration em, duplici potissimùm stigmate nitidissima Ecclesiæ Christianæ facies à quibusdam Recutitis malitiosè notatur; Alterum ipsam redivivi Corporis *substantiam* concernit, quasi Christianorum Doctores asserant, tempore Resurrectionis non compositum iri corpora ex *contrariis* (Elementis) sed futura אוריים רקים קלים *aërea, subtilia, levia,* imò מטבע הגשם השמימי *ejusdem cum Corporibus Cœlestibus Naturæ*; *At* אחרוני חכמי הנוצרים *posteriores Christianorum Doctores*

Doctores nō aliam admittere mortuorum Resurrectionem, quàm מפאת נפשותיהם *ex parte ANIMÆ*, cum res quælibet בצורתו הוא מה שהוא *formæ ſuæ debeat id quod eſt*; Corpora verò Reſuscitatorum futura מהרכבה חדשה, *novæ cujusdam compoſitionis*. Ita ISAACUS ABARBANEL in נחלת אבות, ſed ſatis malitiosè. Alterū verò ſtigma Glorioſi Corporis *Qualitates* ſive Accidentia tangit, quaſi ſola Synagoga dotum illarum eminentiā noſſet & numerum, Chriſtiani nihil, niſi quantum largirentur Judæi: Ita enim R. Juda ZABARA: כי הניצרים יאמינו עקר תחית המתים ולא יאמינו תחיה בגוף בהיר קורין אותו בלעז שלהם גלוריפיק אט כל שישלו המעלות שזכרנו ותלמידי ישו הנצרי שמקרו להם עקר זה קבלו מחכמי ישראל ולא שמשוכח צרכ' לדעת עקר התחיה כמו שנא מין אנחנו: h.e. *Etiam Chriſtianos credere Articulum Reſurrectionis mortuorum, at non credere de CORPORE ILLUSTRI, quod Lingua ſibi vernacula Glorificatum appellant, quo reſurrecturi ſunt ſecundum omnes illos gradus, quorum meminimus. Diſcipuli autem Jeſu Nazareni, qui illis hunc articulum*

lum tradiderunt, illum à Sapientibus Israelis acceperunt; at non quantum opus est, operæ impenderunt ad ipsum plenè percipiendum, quomodo nos illum credimus. Hactenus ex Spiritu Judaico-Thrasonico ZABARA.

II.

Si vero Is. ABARBANEL bona fide agere; & veram atque genuinam Ecclesiarum Christianarum de Glorioſis Corporibus sententiam tradere voluisset, eandem non nisi ex scriptis eorum Symbolicis, aut aliis probatæ fidei authoribus depromere debuisset. Non ibimus inficias, inter Christianos olim, non minus diversas de Resurrectione repertas fuisse sententias, quàm inter ipsos JUDÆOS: qua ratione verò privata quorundam placita, aut Samosatenorum de Corporibus fidelium deliria attribui possint orthodoxis omnibus, nemo non ex ipso etiam recutitorum cœtu deprehendit. Quanta, Bone Deus! ipsa Synagoga circa תקומה seu תחיית ANASTASIN videlicet, & ΑΝΑΒΙΩΣΙΝ opinionũ fovet

divortia! Ipsi Ebræi observant, in hoc articulo dividi חכמי ישראל *Sapientes Israelis*, & quidem האחרונים לשתי דעות *posteriores in duas sententias*, sive classes, quarum altera Ducem sequitur רמבם seu *Mosen Majemonidem*, altera רמבן seu *Mosen Nachmanidem*, videndus est Jos. ALBO, Lib. IV. IKKAR. C. XXX. Nostri verò tot fermè inter Judæos sententiarum notarunt capita, quot Doctorum. Et juxta ipsum Abarbanelem inter Judæos etiam quidam extitêre, qui Resurrectionẽ nihil aliud nuncuparunt, quàm משלי לקבוץ הגלוות וזמן הגאולה: *formas loquendi parabolicas, restituendam captivitatem, & redemptionis tempus denotantes.* Maximam sane sive impudentiæ sive audaciæ notam incurreret, qui sententiam hanc pro catholico Judæorum venditaret dogmate. Et universa profectò Ebræorum Natio ægrè admodum ferret, si ipsius Abarbanelis de Redivivo Corpore placita attribuerentur recutitis omnibus. Ille enim (R. Hasday & R. David Kimchii in Malach. vestigia secutus, in Libro suo נחלת אבות asserere non dubitat,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [28] - 4
PUBLIC DOMAIN

bitat, Deum in Resurrectione Mortuorũ nova producturum esse corpora, eâdem quantitate, qualitate ac temperie prædita & forma atque figura prioribus paria, atq; istis corporibus infusurum proprias animas; cumque operationes animæ sequantur temperamentum corporis, futurum inde, ut idem homo numero resuscitetur; atq; hâc ratione, actionem illam propriè dici posse Resuscitationem Mortuorum. Hanc Abarbanelis & sociorum sententiam, ex communi Judæorum traditione manifestè falsam & erroneam, nuncupat ipse MENASSE BEN ISRAEL, (Abarbanelis, ducta ex ejusdem familia uxore, affinis) Lib. II. de Resurr. Mort. Cap. xv. Nam (inquit) licet corpus eâdem forma ac figura prædictum restituatur, nõ desinit tamen aliud numero esse corpus, quemadmodum statuæ eadem prorsus forma ac figura ab Artifice elaboratæ, non possunt dici una eademq; numero statua. Adde cum finis resurrectionis sit, ut idem corpus Animæ junctum, præmio aut pœna factorum afficiatur, quis non videt hoc fieri non posse, si novum atque aliud numero corpus sit? Tandem ex com-

communi & vulgari Ebræorum ſententia concludit MENASSE, Reſurrectionem fore quoad idem numero corpus, easdemque numero qualitates. Conſentit Maimon: Epiſtolâ de Reſurr. Mort. dum Reſurrectionem nihil aliud eſſe ſtatuit, quam הנפש שוב אותו לגוף אחר הפרידה זה מזה: *Animæ ejusdem in corpus idem, à quo ſeparata fuerat, reditum.* De Joh. Albo videndus Pokokius Miſcell. p. 120.

III.

Impudentiſſimum autem ZABARÆ effatum, (quo abſolutiſſimam Glorioſi corporis notitiam ſolis Judæis ineptè attribuit) neutiquam prolixe morabimur. Plurima quidem de corporum Glorificatione veterum Judæorum monumenta tradunt. Iſta tamen Judaicæ duntaxat ſagacitati abſurdiſſimè tribuuntur, & Chriſtianæ pietati impudentiſſimè denegantur. Quantum etiam hîc ſibi blandiantur Muhamedani, (quaſi in eorum ſaltem ſcholis articulus iſte perſpicuè traderetur) patet ex ipſorummet ſcriptore Arabico AHMED, cujus verba Arab.

(paginæ

(paginæ CC LIV) latinè ita sonant: FREQUENTIOR EST EXPLICATIO DE STATU FUTURI SECULI IN LEGE NOSTRA, QUAM IN LEGE (MOSAICA) ET EVANGELIO.

IV.

Ut vero Abarbanelis non minus quàm ZABARÆ, hujusque farinæ hominum aliorum, (turpissimæ mentiendi libidini deditorum) ora in perpetuum obturentur, atque salutifera Ecclesiarum Christianarum placita magis magisque confirmentur, paulo uberiorem de CORPORE GLORIOSO ΣΥΖΗΤΣΙΝ instituimus, in qua Scripturæ Canonicæ pariter ac vetustioris sicque purioris Ecclesiæ ductu, ejusdem ESSENTIAM non minus quam DOTES sive QUALITATES explicabimus, & simul à gemino isto maledicentiæ Judaicæ stigmate elegantissimam Ecclesiæ Christianæ faciem liberabimus.

V.

Sicuti verò universæ Religionis Christianæ ΑΚΡΟΓΩΝΙΑΙΣ firmissimo atq; solidissimo Resurrectionis CHRISTI fun-

damento innititur, ita corpus etiam ejusdem è mortuis resuscitatum, Discipulisq; XL. diebus exhibitum, merito pro exactissima CORPORUM GLORIOSORUM idea sive exemplari agnoscendum atq; habendum. Locus elegantissimus occurrit ad Philipp. III., 21., ubi CORPORUM GLORIOSORUM dotes vocantur ΜΕΤΑΣΧΗΜΑΤΙΣΜΟΣ ΚΑΙ ΣΥΜΜΟΡΦΙΑ ΤΟΥ ΣΩΜΑΤΟΣ ΧΡΙΣΤΟΥ. Verba Textus hæc sunt: Ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ δύνασθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα. Ubi vocem μετασχηματίσει vulgatus perperam reddit per τὸ reformabit: Rectius Beza: *qui transformabit corpus sc. nostrum humile &c.* Nec δόξα h. loco (ut Cornelius à Lapide contendit,) præcisè idem sonat ac *Claritas* sive splendor, ut propterea ad hanc solùm CORPORUM GLORIOSORUM dotem sive qualitatem sit referenda; sed reliqua etiam omnia Beatorum Corporum axiomata sub se comprehendit; hinc Syrus rectè vertit: *Ut fiat in Similitudinem Corporis gloriæ suæ.* ΣΥΜΜΟΡΦΙΑ autem

sive

sive conformatio & configuratio, juxta Apostolum nihil aliud est, quam exactissima, quoad novas dotes sive qualitates convenientia; ita ut quemadmodum CHRISTI corpus in Resurrectione evaserit incorruptibile, clarum, agile & subtile; talia etiam Beatorum CORPORA olim sint apparitura. Unde eleganter Chrysostomus, *Papæ!* (exclamat) *illiné qui ad Dextram Patris sedet conforme fiet hoc corpus? Illi, qui adoratur ab Angelis? Illi, cui adstant incorporales illæ virtutes? Illi, qui est supra omnem Principatum, potestatem & virtutes, illi conforme fiet? Si ergò totus orbis lacrymis sumtis eos defleret, qui ab ista spe deciderunt, num digne collacrymaretur? quod cum promissio nobis sit facta corpus nostrum futurum ita GLORIOSO CHRISTI CORPORI conforme, illi cum Dæmonibus abeant.*

VI.

Cum itaq; ex CORPORIS CHRISTI ex Mortuis Resurgentis statu & conditione de Beatorũ etiam CORPORUM statu judicium fieri debeat, illudq; (Christi videl.) IDEM NUMERO surrexerit,

Luc. XXIV, 39. Joh. XX, 27. haud difficulter concluditur EADEM omninò NUMERO ad vitam revocanda esse corpora. Sanè Christus non tantum carnem & ossa se habuisse post Resurrectionem testatur d. l. Luc. 24. 39. & manus ac pedes suos ostendit Thomæ apud Joh. XX. 27. sed (quod illustrissimum omninò pristini corpus τεκμήριον est) jubet Thomam immittere digitum lateri suo, ut vulneris vestigia cognoscat. Atq; hæc Catholica Ecclesiarum Christianarum fides nititur firmissimis Scripturæ pariter ac Antiquitatis purioris fundamentis. Sanctiss. Jobus (quo, judice Hieronymo, nullus tam apertè post Christum etiam de Resurrectione loquitur) expressè: *De Carne mea* (inquit) *videbo Dominum, quem visurus sum ego ipse & oculi mei conspecturi sunt, & non alienus.* Ita vulgatus. Veteres quidem Hebræi non minus quam recentiores quidam Christiani locum hunc ita vertunt (aut pervertunt potius,) ut Resurrectio exinde neutiquam solidè confirmari possit. Satis confidenter Menasse ben ISRAEL Lib. I. de Res. Mort. c. 3. *Nihil*

hil in eo (loco) *est, inquit, qui ad Resurrectionem pertineat, neq; ullus Hebræorum reperitur, qui verba hæc in istam sententiam exposuit.* Falsissimum! apertè cum aliis genuinam istam loci hujus explicationem agnovit R. Samuel Marrochianus, in Epist. de Adventu Messiæ ad Isaacum Israëlitam c. 11. Facilius tamen Menassi condonari potest quam G. Jo. Vossio, quippe qui Disp. Theol. XII. de Res. Carn. v. 9. inquit: *Locus ille Jobi XIX. 26. Si minus eos* (de Sadducæis loquitur) *moverit, mirandum non est, quando veteres Hebræi omnes & è nostris doctissimus Interpres Mercerus sic eum locum transferunt & explicant, ut nihil faciat ad Resurrectionem.* In eandem propemodum sententiam etiam scribere ausus est Sixtinus Amama, Antib. Bibl. Lib. III. p. 668.: *Quæres, cur omittam ista priora: In novissimo die resurrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea? Respondeo; nihil tale ex Hebræis vocibus posse exsculpi, ac proinde hunc loca vulgo pro Concionibus & Disputationibus non ea cura, qua in hac linguarum luce par erat, allegari. Verum quidem est, nos in novissimo*

mo die de terra resurrecturos, verum est, nos pellibus nostris rursum circumdatum iri, at, Jobum istis verbis hæc dicere, id verò ajo esse NON VERUM.

VII.

Judæos quidem non adeò moramur, Christianos potius miramur Judaizantes, utpote qui immensa vetustiorum pariter ac recentiorum testium (locum Jobi de Carnis Resurrectione explicantium) nube tantum non obruti, palmam veritati concedere coguntur. LXXII. certè Interpretes, & ipsi Ebræi, hujusq; sermonis peritissimi locum istum de Resurrectione Carnis manifestè intelligunt: οἶδα γὰρ ὅτι ἄϊννάος ἐϛι ὁ ϲκηλύειν με μέλλων, ϗπὶ γῆς ἀναϛήϲαι τὸ ϲέρμά μου: h. e. Scio enim, quia æternus est, qui me resoluturus est super Terram ad RESUSCITANDAM cutem meam. Pro ϲκηλύειν in Græco fortè legendum est ῥύειν, quod salvum & incolumem præstare conservareq; significat, q. d. qui me *conservaturus* est. Theodotio qq. teste Chrysostomo h. l. ita reddidit: ὁ ἀγχιϛεύς μου ζῇ, καὶ ἔϗατον ἐπὶ χώματος ἀναϛήϲει: *Redemptor meus vivit,*

& no-

& novissimè super pulverem suscitabit. Idem, persuadet (inquit,) duos versiculos esse conjungendos, atq; ita legendum: οἶδα γὰρ ὅτι ἀένναός ἐστιν ὁ ἐκλύσειν με μέλλων ἐπὶ γῆς, ἀναστῆσαι τὸ δέρμα μου τὸ ἀνατλὰν ταῦτα· ut significetur: Immortalem Deum, cum Jobum per mortem resolverit in Terram, rursus suscitaturum è Terra, per Resurrectionem. Quin & ipse Chaldæus Paraphrastes non alio sensu verba JOBI reddit: וַאֲנִי יְדַעִית דְּפָרִיקִי קַיָּם וּבָתַר כְּדֵין פּוּרְקָנֵיהּ עַל עַפְרָא יְקוּם וּבָתַר דְּאִתְפָּח מַשְׁכִי תְּהֵי דָא וְסִכְסְרִי אֲחֶזֵי תּוּב: h. e. *Et ego novi quod Redemptor* (s. Liberator) *meus manet, & post illa* (verbotenus post nunc) *Liberatio ejus super pulvere* (in quo conduntur mortui,) *extabit; & postquam inflata* (h. e. rupta) *fuerit pellis mea, erit hoc* (corpus suum indigetat, respiciens ad id quod sequitur) *& ex carne mea rursus videbo Deum, &c.* Malè autem apud Nachmanidem pro תוּב *iterum*, legitur טוֹב *bonum*, quanquam is ipse interpretatur quasi esset תּוּב, adeoq; perperam apud Pinedam in h. l. legitur in vers. Chaldæi: *Videbo Bonum Dei*, sed hæc

hæc obiter. Eodem etiam sensu Tremellius; *Equidem ego novi* (vertit) *redemptorem meum vivere; & posteriorem super pulverem resurrecturum. Et postquam vermes confoderint istud, evigilante me; Tum carne mea, me visurum esse Deum.* Arias deniq; & Pagninus ad verbum: *Et ego novi Redemptorem meum vivum, & novissimo super pulverem* (terram) *staturum. Et postquam pellem meam contriverint hanc, & de carne mea videbo Deum.* h. e. Cum post cutem meam etiam hoc (caro vid. tenueq; corpusculum, quod digito monstrabat Hiob) confossum & corrosum fuerit, tum è morte excitabor, & vitæ restitutus ac glorificatus Deum meum videbo.

VIII.

Observamus autem Eruditos potissimum invicem disceptare de genuina vocis אַחֲרֹן (quæ in Textu Sacro occurrit,) explicatione, num scil. referri debeat vel ad Jobum de semet ipso hæc dicentem, an verò ad ejus Redemptorem, Deum. In vertenda verò tertia Persona conveniunt Cajetanus, Pagninus, Regia, Tigu-

Tigurin. Vatablus & Eugubinus quamvis non eodem omnes sensu. Nihil autem agunt, qui ut vulgatam Lectionem defendant, contendunt יָקוּם stabit aut surget corruptum esse pro אָקוּם. Ita Pineda in h. l. Tom. II. Comm. in Job. p. 79. *Conveniunt*, inquit, *duæ illæ literæ י & א figura & charactere, nam א componitur ex duobus jodajim virgula obliqua interjacente à sinistra ad dextram. Quare si Interpres vulgatus aliud verius & incorruptius exemplar nactus est quam quomodo habemus, certe ex illo ipso potuit alicujus corrupti atq; corruptoris Judæi audacia partem literæ א abradere superiori tamen י servato, ne tantum mysterium de Resurrectione per Christum Redemptorem homini conferenda, integrum nobis relinqueret, atque adeò primam personam convertere in tertiam.* Hactenus Pineda. Quasi verò Judæi odio Christianorum testimonium de Resurrectione mortuorum quam Pharisæi omninò admittebant, fuerint corrupturi, & ita mutaturi, ut dum יָקוּם scribunt, forte argumentum nobis præbeant Redemptoris ex mortuis surrecturi. Attendenda

denda potius hic frequentissima ubiq; in Scriptura Personarum Enallage, quâ sæpius Persona aliqua de se ipsa in tertia Persona & tanquam de alia quadam loquatur, hinc R. D. Kimchi ad Cap. 31. Ezech. 10. כי דכך ה׳ המקוא לדבר לנכח ושלא לנכח־כאחר: h. e. *Consuetudo Scripturæ est, ut loquatur tanquam ad præsentem, & tanquam de absente* (h. e. modo in secunda modo in tertia persona,) *eodem sensu.* Exempla habes Gen. IV, 23. Cap. XLIV, 18. Num. XXIV, 3. 4. Matth. IX, 9. Joh. XXI, 24. II. Cor. XII. 2. 3. 4. Sic quando Prophetæ de se ipsis loquuntur Jer. XXVIII, 5. 10. &c. Jon. I. & per totam Historiam. Vid. August. Tract. LXI. in Jo. Tom. IX. col. 406. Deinde vox ista Hebræa etiam transitivè est intelligenda, adeoq; יָקוּם explicandum per יָקִים *resuscitabit*, ut proin Jobus sciverit, non solum Redemptorem suum super pulvere constituturum, sed etiam (transitivè) *stare se facturum.* Posse autem transitivè vocem istam accipi, patet ex Amos VII. 2. ubi eadem vox מִי יָקוּם יעקוב debet verti: *Quis suscitabit Jacob?*

Sensus

Sensus idem est cum nostro Textu: Redemptor suscitabit, levabit, eriget me de pulvere, surgere me faciet. De ipsa verò constructione frustra sollicitus est celeberrimus Coccejus Comm. in Job. p. 274. ubi inter alia, *non plena*, (inquit,) *est constructio, nam quid est, Postremus super pulvere excitabit? Quem?* Illum certè, qui statim subjungit: Et rursus circumdabor pelle mea, & de carne mea videbo Deum. Nec deniq; ut Cajetanus vult, sub illo verbo activo subaudiendum est pronomen SE, ita ut sensus sit, suscitabit SE Redemptor meus, cum hæc explicatio è Textu Sacro neutiquam ostendi nec stabiliri possit.

IX.

Sed ad ipsam rursus CORPORIS GLORIOSI *Identitatem*, quam apertè etiam docet Paulus I. Cor. XV, 53. δεῖ γὰρ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν, καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀθανασίαν. Ubi Tertullianus Lib. de Resurr. c. LI. meritò urget pronomen, *ut* (inquit) *de carne dictum intelligas, dicit ISTUD corruptivum, & ISTUD Mortale, cutem ipsam*

tenens dicit. Sic Lib. V. adversus Marcion, Cap. X. *Corruptivum HOC, tenens utiq; Carnem suam dicebat Apostolus.* His adde loca alia non minus illustria, ut Christi illud apud Joh. c. V. ℣. 28. *Qui in monumentis sunt, audient vocem ejus.* Ubi ut idem Tertullianus ait Lib. de Res. c. 37. *nemo jam poterit aliud mortuos interpretari, qui sint in monumentis, nisi corpora & carnem, quia nec ipsa etiam monumenta aliud quam cadaverum stabula.* Hinc etiam Aquilegiensis Ecclesia in Symbolo ἁγιοτικῶς expressit illa verba: Credo Resurrectionem hujus carnis, ideoq; (verba sunt Ruffini Ecclesiæ istius Presbyter. in Expos. Symb.) satis cauta & provida hâc adjectione fidem Symboli Ecclesia nostra docet, quæ in eo quod à cæteris traditur carnis Resurrectionem uno addito pronomine tradit, HUJUS Carnis Resurrectionem. Et Concil. Toletan. XI. quod Anno IV. Wambæ Regis, Christi a. Ioc. LXXV. celebratum fuit, Can. VII. optime ait: *Exemplo capitis nostri confitemur vera fide Resurrectionem Carnis omnium Mortuorum: nec in aëre vel qualibet*

alio

alia carne (ut quidam delirant,) Resurrecturos nos credimus, sed in ISTA, quâ vivimus, consistimus & movemur.

X.

Quos verò Concilium hîc per *Delirantes* intelligat, absq; negotio indagari deprehendiq; potest, illi scil. notantur, qui Origenistæ inde dicebantur, quod ad errorem his Origenes præiisse putaretur. Ille enim ut alibi etiam hîc nonnihil puriorem fidem turbavit, peculiaremq; invexit opinionem. Sanè in Libris Origenis nomine divulgatis, præcipuè Comm. in Psalm. 1. non *carneum* sed *aëreum* aliudve corpus aëre & vento subtilius resurrecturum statuebat. Istos verò Commentarios corruptos fuisse ab hæreticis narrat Eusebius in Apolog. pro Orig. & Ruffinus præfat. in Origen. Libb. περὶ ἀρχῶν, Origeni hunc errorem impingit Methodius Serm. de Resurrect & ex Methodio Epiphanius hær. LXIV. ex Epiphanio Nicetas Choniates Lib. IV. Orthod. Fid. Cap. XXXI. Si verò Origenis de Beatorum Corporibus Sententia paulò accuratius expendatur, apparebit, illum saltem

tem non potuisse capere, quomodo Glorioſi Corporis nomine venire possit illud, quod carne & sanguine constet, neq; quomodo verum sit carnem resurgere, si non resurgat quicquid carnis, sanguinis & aliorum humorum tota vita homo habuit, hoc itaq; quia futurum non sit, nec illud putavit fore. Atq; hinc commodè explicandum, quod Augustinus Hæres. XLIII. ἁπλῶς scribit, negasse Origenem Resurrectionem carnis, nimirum non nisi Epitome Epiphanii ad manus Augustini pervenerat. Certum est, illum credidisse, corpora in Resurrectione quidem nos recepturos, sed Cœlestis cujusdam Substantiæ, carnis expertia, & solam externam speciem sive figuram servantia. Verba ejus prolixè ex Methodio produxit Epiphanius, Hæres. LXIV. Inter cætera habet objectiones, Gentilium dubitationibus per omnia respondentes: An resurget simul sanguis, qui in venarum sectionibus effluxit, & carnes in morbis consumtæ, & pili omnes, qui unquam nobis fuerunt, aut soli hi qui ad exitum manserunt? decurrunt ad hoc, ut per-

permittamus Deo facere quod vult; & paulo post. Numquid velut alimenta in nostrum corpus digeruntur, sic etiam nostra corpora transmutantur & in carnivoris volucribus ac feris fiunt partes illorum corporum? Et rursus illa ab hominibus aut aliis animalibus comesta transmutantur, & fiunt hominum aut aliorum animalium corpora? Et hoc diu fiente, necesse est idem corpus plurium hominum sæpe partem fieri. Cujus igitur erit corpus in Resurrectione? Atq; sic in profundum nugacitatis nos imprudentes illabi continget. Hactenus errabunda Ratio, quæ licet in divinis cæca omninò & oculorum Lumine privata sit, loquacitate tamen & garrulitate sua piis mentibus molesta esse omni studio & conatu laborat. Illa verò negotium universum optimè expedire sibi visa est, ore & calamo Origenis, apud Epiphanium d. l. porrò differentis: *Necesse est Animam dum in Locis corporeis est uti Corporibus loco congruis. Et quemadmodum si Aquatici facti in mari vivere debuissemus, omninò oportuisset nos ei rei convenientem & piscibus*

consimilem corporis constitutionem habere: Ita quum hæredes Regni Cælorum & in locis longè diversis simus futuri, necesse erit uti corporibus SPIRITUALIBUS, non quidem priori specie abolita, etiamsi ad majorem gloriam ea transferatur. Inde opinioni suæ stabiliendæ adducit verba Apostoli: Seritur corpus Animale, suscitatur corpus Spirituale; Et: Hoc dico fratres, quia caro & sanguis non possunt Regni Dei hæreditatem consequi. Hinc infert ille: Caro non erit amplius, ἀλλ' ὅπερ ποτὲ ἐχαρακτηρίζετο ἐν τῇ σαρκὶ, τοῦτο χαρακτηρισθήσεται ἐν τῷ πνευματικῷ σώματι. Sed qui characteres aliquando impressi erant in carne, illi imprimentur in Spirituali corpore. Ex similitudine etiam Apostoli eadem conatur evincere. Dicet aliquis, quomodo suscitantur mortui? Quali autem corpore prodeunt? Desipiens, quod tu seris non vivificit, nisi mortuum fuerit; Et quod seris non corpus oriturum seris, sed nudum granum; Hic exclamat: γυμνοῦς φείσασιν, ἔτι τὰ πρῶτον ὑποκείμενον ἐκ ἀναστήσεται. Simpliciter & perspicuè declarat Apostolus, quod primum subjectum non resurget. Eandem Origenis sententiam apud

Epi-

Epiphanium hæreſ. 64. craſſa nimis ſimilitudine expreſſit Proclus: *Vidiſti* (inquit,) *pellem animalis, aut quid aliud ejusmodi aquâ impletam, quomodo ſi ſenſim depleatur & ſenſim repleatur, eandem ſemper ſpeciem exhibeat. Quale enim fuerit quod continet, tale neceſſe eſt quod continetur, efformari. Age enim effluente ſenſim aquâ, ſi quis quantum effluit tantum injiciat, neq; ſinat utrem ſimul & ſemel evacuari, neceſſe eſt tale apparere quod adjicitur quale totum eſt. Et ſane ſi huic rei corpus quis velit aſſimilare, haud aberrabit. Eodem enim modo quæ ab alimento invicem recedentium carnium ſufficiuntur, in figuram ſpeciei continentis transmutantur. Et quod quidem ad oculos diffunditur, oculis; quod ad faciem, faciei, quod ad alias partes, illis ipſis ſimile evadit, ut quisq; appareat unus & idem,* οὐκ ἀπὸ τῶν σαρκῶν ἐν ταὐτῷ τῶν πρώτων ὑποκειμένων, *non quod in eo carnes ſint primum ſubjectum, ſed quod ſpecies, juxta quam eo quæ apponuntur,* εἰδοποιοῦνται, *formam accipiunt. Proinde ſi nec ad paucos quidem dies eidem ſumus corpore, ſed ſpecie in corpore, quæ ſola ab ortu usq; perſeverat; multo itaq; minus*

minus tunc iidem ſecundum eandem carnem erimus, ſed ſecundum ſpeciem, quæ nunc quoq; ſemper in nobis conſervatur & manet.

XI.

Hunc verò Origeniſtarum errorem etiam amplexus eſt JOANNES HIEROSOLYMITANUS, cui ſe oppoſuit B. Hieronymus Epiſt. LXI. ad Pammach. ubi ejus ſententiam h. m. recitat: *Nunc oculis videmus, auribus audimus, pedibus ambulamus: in illo autem corpore ſpirituali toti videbimus, toti audiemus, toti operabimur, toti ambulabimus.* Rectè autem contra illum Hieronymus d. l. c. 7. urget exemplum Dominicum transfigurati, tum reſurgentis, utpote qui primogenitus ex mortuis primitias maſſæ corporum noſtrorum, quas in ſepulchro poſitas ſuſcitavit, pervexerit ad Cœlum, ſpem nobis Reſurrectionis in reſurrectione proprii corporis tribuens. De eodem Johanne Hieroſ. Hieronymus c. 7. conqueritur, quod cum de Reſurrectione ſcripſiſſet, novies Reſurrectionem corporis nominans, ne ſemel quidem CARNIS inſeruerit. Hieracitæ porrò (de quibus Epiphan. in

An-

Anchor.) cum EUTYCHIO Patriarcha Constantinop. eâdem labe correpti pariter ac corrupti fuêre, ille enim quarto post Origenem Seculo scripsit: *Corpus nostrum in illa Resurrectionis gloria fore impalpabile, ventis & aëre subtilius.* Cum eo autem de dogmate hoc coram Tiberio Augusto Imp. publicè disputavit Gregorius Magnus Episcopus Romanus, tunc temporis Ecclesiæ istius Diaconus ut ipse testatur Lib. XIV. Moral. cap. 29. in verba hæc Jobi, & circumdabor pelle mea; & Beda, Lib. VI. in Lucam, c. 24. Ado Viennensis, in Chron. anno Ɔ LXXV. & Sigebertus ad A.C. Ɔ LXXX. Invenio autem apud Gregorium quædam istius Disputationis fragmenta. Scripserat Eutychius (ut modo dictum,) corpus nostrum in illa Resurrectionis gloria fore impalpabile, &c. Contra eum argumentatur Gregorius: Redemptorem Discipulis dubitantibus palpanda ossa carnemq; præbuisse; EUTYCHIUS respondet: Post confirmata corda palpantium omne illud in Domino quod palpari potuit, in subtilitatem esse aliquam redactum.

ctum. GREGORIUS: Christus Resurgens à mortuis jam non moritur, si quid ergò in ejus corpore post Resurrectionem potuit immutari, contra veridicam Pauli sententiam, post Resurrectionem Dominus rediit in mortem. EUTYCHIUS: Caro & Sanguis Regnum Dei possidere non possunt. GREGORIUS: Aliter caro dicitur juxta Naturam, atq; aliter juxta culpam vel corruptionem, &c. in illa ergò cælestis Regni gloria caro secundum Naturam erit, sed secundum passionum desideria non erit, quia devicto mortis aculeo in æterna incorruptione regnabit. EUTYCHIUS: quod seminas, non quod futurum est Corpus seminas, sed nudum granum, GREGORIUS: Granum cum culmo & foliis nascitur, quod sine culmo & foliis seminatur, Apostolus itaque in augmento gloriæ Resurrectionis non dixit, grano seminis deesse quod erat; sed adesse quod non erat. Iste autem dum VERUM corpus resurgere denegat, nequaquam dicit abesse quod deerat, sed adesse quod erat. Tandem concludit: *Fatemur Carnem nostram post Resurrectionem futu-*

futuram & eandem & diversam. Eandem per Naturam, diversam per gloriam, eandem per veritatem, diversam per potentiam, erit enim Spiritualis, (melior hæc lectio quam subtilis, quòd & supra subrepsit, respicit enim ad verba Apostoli I. Cor. XV.) *quia & Incorruptibilis, erit palpabilis, quia non amittet essentiam VERACIS NATURÆ.* Dissidio autem ingravescente, cognitionem causæ sibi sumsit Tiberius Constantinus Imp. & Utriusq; partis (verba Gregorii sunt) allegationem pensans, Librũ quem de Resurrectione Eutychius scripserat, suis qq. allegationibus destruens, deliberavit, ut flammis cremari debuisset. A quo ait Gregorius, ut egressi sumus, me ægritudo valida, eundem verò Eutychium ægritudo & mors protenus est secuta. Quo mortuo quia penè nullus erat, qui ejus dicta sequeretur, dissimulavi cepta persequi, ne in favillas viderer verba jaculari. Dum tamen adhuc viveret, & ego validissimis febribus ægrotarem, quicunq; noti mei ad eum salutationis gratia pergebant, ut eorum relatione cognovi, ante eorum oculos pellem manus

nus ſuæ tenebat, dicens: *Confiteor, quia omnes in hâc carne reſurgemus.* Quod, ſicut ipſi fatebantur, omninò prius negare conſueverat. Iſta & plura ſi lubet evolve apud Gregorium Expoſit. Moral. in Job. Lib. XIV, Cap. XXIX. Meminit PHOTIUS *Bibl.* ſuæ Cod. XXI. p. m. VI. Cujusdam JOHANNIS PHILOPONI, qui *tres de Reſurrectione Libros* ediderit, in quibus CORPORUM Reſuſcitationem prorſus rejecerit, multaq; inconſideratè jactaverit, ac SS. etiam Patrum auctoritatem riſu exceperit; ſed videtur ipſum conſimilem ſaltem foviſſe opinionem, ejusdemq; numero CORPORIS Reſurrectionem negaſſe, quo errore etiam infectus fuit Stephanus Tritheita, cognomento Gobarus, tradente Photio *Biblioth. pag. 470.* Iſtius quoque Reliquiæ diu in Eccleſia hæſerunt; Diſplicent ſane ea quæ Durandus ſcripſit de Sancto Portiano, exiſtimans, modo eadem ſit anima Rationalis, undecunq; tandem fuerit materia, eundem tamen numero hominem fore, quod materia ex ſe identitatem & diſtinctionem nullam habeat, & propterea ad

ea ad compositi identitatem vel distinctionem nihil conferat. En verba! *Cuicunq;* (ait IV. dist. 44. quæst. 1. num. 6.) *materiæ uniatur Anima Petri in Resurrectione, ex quo est eadem forma secundum numerum, per consequens erit idem Petrus secundum numerum, cum materia sit pura potentia, nec habeat de se aliquod esse aut solum posse esse.* Quæ opinio videtur occasionem dedisse spinosissimis de Principio Individuationis contentionibus, nam si sola forma identitatem numericam facit, illa salvabitur in quacunq; materia.

XII.

Turpissimo autem huic Origenistarum pariter ac fanaticorum aliorum errori, Veneranda Antiquitas vividam Cælestis doctrinæ puritatem, multiplici veritatis clypeo munitam, nunquam non fortiter opposuit. Nos quoq; (monitum Tertulliani, Lib. de Resurr. Cap. 55. secuti,) Resurrectionem carnis probantes, hoc ipso nó aliam resurrecturam probemus, quam de qua agitur, adeoq; IDEM NUMERO CORPUS resurrecturum aliquot Argumentis porrò ostendamus.

Aciem

XIII.

Aciem ducat ipsa Resurrectionis appellatio, cum ἀνάστασις (rectè describente Damasceno Lib. IV. de Orthod. Fide c. 28.) nihil aliud sit, quam ΔΕΥΤΕΡΑ ΤΟΥ ΠΕΠΤΩΚΟΤΟΣ ΣΤΑΣΙΣ, seu; Ejus, quod cecidit iterata statio; αὐτὸ ἓν τὸ σῶμα, τὸ φθειρόμενον καὶ ἀλλυόμενον, αὐτὸ ἀναστήσεται ἄφθαρτον: Idem itaq; corpus (pergit ille) quod corrumpitur & dissolvitur, idem inquam resurget incorruptibile. Et juxta Ambros. (Orat. II. de Resurr.) *Hæc est Resurrectio, sicut VERBI ipsius sono exprimitur, ut quod excidit hoc resurgat: quod mortuum fuerit, reviviscat.* Quo argumento (ab ipsa appellatione desumto,) etiam pugnat Tertullianus Lib. V. contra Marcionem, cap. IX. Epiphanius Hæres. LXIV. Greg. Nyssen. Orat. III. de Resurr. col. 736. edit. Paris. 1573. Chrysostomus de Resurr. Orat. III. Cyrillus Alexandr. in Johann. Lib. XII. c. 53. & Gennadius Massilienf. de Dogm. Ecclesiæ c. VI. Sic Irenæus: *non aliud est* (inquit,) *quod moritur, & aliud quod vivificatur, quemadmodum neq; aliud quod perit, &*

aliud

aliud quod invenitur, sed illam quæ perierat, ovem, invenit Dominus. Et juxta Gregor. Lib. XIV. Moral. c. 27. *dici non potest Resurrectio, ubi non resurgit quod cecidit.* Itaq; de ipsa intrinseca ratione Resurrectionis est, ut idem numero corpus restituatur & redeat. Idem etiam evincit usitatissimum in Scripturis OBDORMIENDI verbum, Deut. XXXI. ℣. 16. I. Reg. II. 10. & XIV, 31. & XV, 24. & XVI. 29. Matth. IX. 24. *Puella non mortua est, sed dormit*, & Joh. XI, 11. inquit Christus, Λάζαρος κεκοίμηται. Et Stephanus Princeps martyrum *obdormivit*, Act. VII. 60. Conf. I. Thess. IV, 13. Isto autem vocabulo corpora tanquam è somno suscitatum iri significantur. Rabbini usurpant vocem שכיבה CUBATIONEM, unde R. David ad illud Jes. L, 11. לְמַעֲצֵבָה תִּשְׁכָּבוּן. In dolore jacebitis, scribit: השכיבה הזאת שאמר כמו שכיבת חולי המוות: *Cubatio vel dormitio hac de qua dicit, est vel cubatus morbi vel MORTIS.* Arabes quoq; eodem simili utuntur, hinc Abil-Ola Moarriensis Poeta; *Decubitus* (ita verba Arabica latinè sonant,) *mortis somnus*

ſomnus eſt, quo requieſcit corpus; Et vitæ (futura) *quaſi RESUSCITATIO A SOMNO.* Unde & COEMETERIIS Nomen, quaſi dicas DORMITORIA, quod corpora fidelium ibi requieſcant in ſepulchris tanquam in lectulis atq; cubilibus ſuis, non mortua, ſed data ſomno. Appoſitiſſimè Pererius in cap. L. Gen. ℣. 13. *Appellant* KOIMHTHPION *à* Κοιμάω *nimirum voce fidei ac pietatis plena, reſurrectionis videl. ſpem teſtificante, declarante & Dei omnipotentiam, qui tanta facilitate poſſit mortuos ad vitam revocare, quanta poteſt quilibet noſtrum excitare dormientem.* Et Chytræus Lib. de Vitâ & Morte p. 101. Veteribus Hebræis בית חיים Domus viventium cœmeterium nominatur, quod pii illic cubantes DEO vivant, & certo revicturi ſint, Θεῷ γὰρ ζῶσι πάντες οἱ κατὰ θεὸν ζήσαντες, κἂν ἐνθένδε ἀπαλλαγῶσι. *Deo enim vivunt omnes, qui ſecundum Deum vixerunt, etiamſi ex hâc vitâ diſceſſerint.* Profanis etiam Scriptoribus Mors dicitur perpetuus & ferreus SOMNUS, Homerus Iliad. XXX. ℣. 241.

Ὡς ὄφρα μὲν ἀνθρώπων, KOIMHΣATO χάλκειον ὕπνον

Statim

Statim ut cecidit, dormivit ferreum
SOMNUM.

Et Catullus ad Lesbiam:

Nobis cum semel occidit brevis Lux
Nox est perpetua una OBDORMIENDA.

Nec minus hoc loco notanda est imperitia illius, de quo Poetæ duri duriter cecinerunt:

DURUS DURANDUS jacet hoc sub marmore duro,
An sit salvandus ego nescio, nec ego curo.

Is enim Lib. I. Ration. divin. offic. c. V. n. 4 Cœmeterium dictum putat, à *Cimen*, quod est *dulce*, & *sterion*, quod est *statio*, propterea, quod ibi defunctorum ossa dulciter quiescunt. Vel quia ibi sunt CIMICES, id est vermes ultra modum fœtentes. Satis ridiculè.

XIV.

Alia argumenta pro IDENTITATE futurorum Corporum suppeditant illa loca, quibus apertè HUIC carni promittitur RESURRECTIO, ut Christi illud Joh. V. 28. *Qui in monumentis* sunt, etc.

conf. Rom. VIII, 11. Philipp. III, 21. & 1. Cor. XV, 53. Idemq; à pari oſtendit Tertullianus Lib. V. adverſus Marc. cap. IX. Si ſic in Chriſto vivificamur omnes, ſicut mortificamur in Adam (1. Cor. XV, 22.) quando in Adam corpore mortificamur, ſic neceſſe eſt ut in Chriſto corpore vivificemur. Cæterum ſimilitudo non conſtat, ſi non in eâdem ſubſtantiâ mortificationis in Adam, vivificatio concurrat in Chriſto. Nec leve ejusdem carnis Reſurrectioni teſtimonium præbet quod (verba ſunt Tertull. Lib. de Reſurr. cap. LVIII.) *JONAS devoratus à bellua maris, in cujus alvo naufragia digerebantur, triduo poſt incolumis exſpuitur: quod hodiè Enoch & Elias nondum Reſurrectione diſpuncti, quia nec forte functi, tamen de orbe translati, & hoc ipſo jam æternitatis Candidati.* Similiter CHRYSOSTOMUS Homil. I. de Reſurr. Col. 356. Propterea Enoch tranſtulit, & Eliam rapuit, DOCENS PER EOS RESURRECTIONIS MATERIEM. Egregie Athanaſius de vita Antonii, *Confido* inquit *in Domino, quia neceſſario reſurrectionis tempore HOC corpuſculum*

cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [58] - 34
PUBLIC DOMAIN

lum resurget incorruptum. Et Hieronymus contra errores Jo. Hierosol. *Non in aliis quibusdam peregrinis corporibus, sed in iisdem, quibus nunc circumdamur, & in quibus nunc sepelimur, speramus resurgere.* Ephrem. Serm. de Resurr. *Restituet* (scribit) *terra corpus hominis illud, quod suscepit, sive à fera discerptum, sive ab ave comestum, sive à quovis animante devoratum fuerit, & ne unus quidem capillus hominis in conspectu Judicis deerit.* Eodem sensu Damasc. Lib. IV. c. 28. *Non impotens est is qui in principio ex pulvere terræ corpus ipsum constituit, rursus resolutum & conversum in terram ex qua sumtum fuerat, secundum conditoris dictum iterato suscitare illud.* Idem dogma firmatur etiam suffragiis Hieronymi Epist. ad Pammach. Epiphanii, Hæres. 64. Augustini de Fide & Symbolo cap. X. & Gregorii Nyssæni, Orat. IV. de Paschate.

XV.

Neque aliter permittit divinæ Justitiæ & retributionis æquitas, quâ Resurrectio-

rectionem niti docet CHRISTUS, Matth. X. 28. & Apostolus II. Cor. V. 10. Omnes nos manifestos fieri oportet coram tribunali Christi, ἵνα κομίσηται ἕκαστος τὰ ἴδια τοῦ σώματος, πρὸς ἃ ἔπραξεν εἴτε ἀγαθὸν, εἴτε κακὸν, *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum.* Ita quædam habent exemplaria, quæ secutus est vetus Interpres. Alia emendatiora nec non Chrysostomus & Theophylactus, unâ elisa litera legunt ΤΑ ΔΙΑ ΤΟΥ ΣΩΜΑΤΟΣ, subintellige ΠΕΠΡΑΓΜΕΝΑ, vel quomodo effert Athenagoras; ἃ διὰ τοῦ σώματος ἔπραξεν, *ut recipiat unusquisq; quæ per corpus admisit*, quemadmodum reddit Tertullianus V. adverss. Marcion. etsi alibi habeat: *Ut unusquisq; reportet per corpus secundum quæ gessit bonum sive malum.* Et sane si ideo Resurrectio carnis necessaria est ut accipiant Impij, quod peccatis suis meruerunt, & pij retributionem pro laboribus suis (id quod sæpe deest in hoc Seculo) necesse est ut EADEM resurgant corpora, quæ ceciderunt, ut plectantur non alia sed ea ipsa quæ peccaverunt & consolationem accipiant

piant non alia, sed ea ipsa quæ benè egerunt. Hinc Ambros. de Fide Resurr. *Hæc est series & causa justitiæ* (inquit) *ut quoniam Corporis & Animæ communis est actus; quæ animus cogitavit corpus effecit: utrumq; in judicium veniat, utrumq; aut pœnæ dedatur, aut gloriæ reservetur.*

XVI.

Evidentissimam hanc de futurorum Corporum IDENTITATE sententiam etiam tuentur JUDÆORUM doctissimi, Majmon præsertim, Josephus Albo, & Menasseben Israel; Ille quidem Epist. de Mortuor. Resurr. (verba exhibuimus Num. II.) iste in Doctrinæ Judaicæ fundamentis; hic denique S. MENASSE BEN ISRAEL totum caput XV. lib. II. de Resurr. Mort. huic quæstioni impendit: *An Resuscitati eisdem, quibus ante vestiti fuere, an verò aliis corporibus induti sint resurrecturi?* & Affirmativam prolixe defendit, argumento cumprimis ab ipsa Resurrectionis voce petito, quippe quæ nihil aliud significet, quam ejusdem corporis cum eadem anima conjunctionem,

nem, in eadem forma & figura, proindeque vocetur תחיית seu NOVA VITA, Quia hæc Resurrectioni propria sit, & postquam recensuisset simul & rejeciisset opinionē R. Hasday, Kimchii & Abarbanelis (de quibus supra Num. II.) tandem concludit EADEM omnino fore Corpora quæ homines induent, cum suscitabuntur. Huc etiam pertinet quod in Midras R. Simeon ben Johay inquit R. Hya: ההוא גופא דהוא יקים ממש דכתיב יחיון מתיך ולא כתיך יבבאו: h. e. *Idem illud corpus quod ante fuit resurget; quoniam scriptum est* (Deut. XXXII.) *revivisscent mortui tui, non autem: Creabuntur*, & in Sanhedrin Cap. II. antiqui ajunt: אני אמית ואחיה מחצתי ואני אכפא מה מחיצרת וכבואה כאחר אף מיתה וחיים כאחר: h. e. Ego occido & vitæ restituo, percutio & medicor. Quemadmodum vulnus & sanatio in eodem corpore recipiuntur, ita MORS ET VITA in EODEM CORPORE erunt. Alibi legitur: עומדין במומן ומתרפאין: *expergiscentur cum suis vitiis, & mox sanabuntur*. Et Viri Synagogæ magnæ in fine quarundam precum idem innue-

runt

runt his verbis: ברוך אתה יי המחזיר נשמות לפגרים מתים: *Benedictus tu sis Domine, faciens redire Animas in Corpora emortua.* Cùm verò quamplurimas difficultates in ista futurorum corporum materia Judæi observassent, nec modum atque rationem sese expediendi invenissent, ineptas quasdam & aniles excogitavêre fabulas, de nescio quo in spina dorsi osficulo, quod nunquam pereat: Ex isto osficulo solo post interitum & annihilationem dicunt hominem restauratum restitutumq; iri in Resurrectione mortuorum; In Toldot Noah & Toldot Ishach legitur: כל אינון מתין דאשתכחין לבר באשר ארעין נוכראין קבה יברא לה גופייהו כרקמזי דהא גרמא חד דאשתאיר ביה בברנא תחות ארעא ההיא גרמא איתעביד כעיסה בחמירא: h.e. *Omnibus defunctis, qui invenientur procul in peregrina Terra, creabit Deus benedictus corpus suum quale convenit: nam unicum osficuculum hominis manet sub Terra, quo corpus istud formabitur tanquam ex massa fermenti.* Et in Beresit Ratba Paras. XXVIII. hæc narrantur: *Adrianus Imp. quæsivit*

aliquando ex R. Jeosuah fil. Hanina unde Deus Benedictus germinare faciet hominem in futuro seculo? respondit ille ex לוז *seu ossiculo spinæ. Rursus alter unde nosti hoc? da mihi illud*, (inquit ille) *ossiculum & Te docebo; contudit illud in mola, sed non tusum est, conjecit in ignem & non conflagravit; conjecit in aquam & non attritum est, imposuit incudi, malleoq; cecidit; sed ne hilum comminutum est.* Eadem etiam sententia in Zoar confirmatur, imò sunt qui Davidem hujus ossiculi mentionem facere contendunt Psalm. XXXIV, 21. Custodiens ossa ejus, unum ex iis non consumtum est, sed quam ineptè nemo non deprehendit. Idem statuit R. Eliezer in Pirke cap. XXXIV. ubi (ut & in libro Adam Sichli (de Resusc. mort.) hæc leguntur: *Lus est os spinæ dorsi in homine, quod non comburitur neq; corrumpitur in perpetuum. Est autem radix hujus ossis ex ipso Cælo, & humectatur rore quo Deus aliquando in vitam revocaturus est mortuos.* Baal Aruch: *Lus est os parvum in fine octodecim vertebrarum, totum corpus hominis putrescit excepto isto osse, estq; simile*

לוז

לוז *amygdalæ*. Hoc autem ossiculum quidã constituunt התחתון שבשדרה infimum quod est in spina dorsi: alii eidem tribuunt in dolem propriam, vimq; plasticam totius corporis, idcirco (dicunt) ex eo instaurari posse corpus humanum, neque necesse, ut omnia membra permaneant ad constituendum idem corpus, si saltem remaneat una aliqua pars ex qua totum iterum componi possit. De ipsa verò corporum ex ossiculo isto productione mira tradit R. Hya, his verbis: לחהוא זמנא קבה ירבך ליה כעיסה בהמירא ויסתלק ויתפשש לד׳ זוין ומניה אשתכלל גופא וכל שיופיו וקבה ויהב ביה רוחא לבתרא א׳ר אלעזר הכי הוא ותא חזי החוא גופא במה איתרבך בשל דכתיב כי טל אורות טלך: h. e. *Isto tempore Deus Benedictus emolliet illud*, (vid. ossiculum) *& turgidum reddet sicuti massam fermenti, & allevabit atq; extendet in quatuor partes, atq; hinc corpus ejusq; membra fient, tum Deus Benedictus infundet illi animam.* Ita est inquit R. Elhazar. At ossiculum istud quo pacto emollietur? *rore*, sic scriptum est (Es. xxvi.) *quia ros olerum ros tuus.*

De

De rore isto in Chagig. c. 2. hæc traduntur: טל שעתיד הבה להחיות בו את המתים *Ros, quo futurum est, ut Deus Bened. vita restituat mortuos* eiusd. meminit Jos. Albo Lib. IV, c. 35. Et in Nachal Aboth Abarbanel. nimirum somniant rorem in terram descensurum è quo cum pulvere terræ commisto ac contemperato futura sint corpora quæ resuscitentur rore seminis virilis, ad introducendam formam, pulvere ita à Deo disposito ac præparato ut materiam idoneam suppeditet mulieris vicem supplentem, atque hoc pacto eodem modo tum formanda corpora, quo creatum est initio Adami corpus.

Tantum autem abest ut ista de Rore & ossiculo sententia displicuerit Menassi ben Israel, ut potius ambabus, quod ajunt, ulnis eandem arripuerit, proq; eâdem omni conatu pugnaverit Lib. II. de Resurr. c. XV. *Longe aliud quid* (ait) *ac præstantius à multis antiquorum dictum est*, idhoc est: *Ajunt in spina dorsi aliquod ossiculum esse quod nunquam pereat*, etc. & paulò post: *quamvis multorum corpora deper-*

deperditis multis partibus integra restitui non possunt; non idcirco tamen destituentur in Resurrectione: nam semper remanet aliquod ossiculum, quod instar fermenti per massam totam se diffundit, vel quod ita excrescit ut granum tritici ex quo nascitur arista. Huc denique pertinet Muhammedanorum AL-AIBI; quod IBN-ATHIM Arabs definit OS AD INFERIOREM DORSI PARTEM juxta OS SACRUM. Videndus celeberrimus GOLIUS LEX. Arabic. voc. Ala jbi. Pokokius Miscell. p. 255. Abrah. Ecchell. Hist. Arab. c. 19. & vir summus J. H. Hottingerus Fasciculus: Dissert. Theol. Philol. pag. XXV.

XVII.

Operæ autem pretium est nunc indagare, qua occasione, quibusq; Rationibus moti Judæi ineptas adeo & aniles de futuris corporibus excogitaverint fabulas, & omnino deplorandum est, illos qui rem ipsam admittunt, circa modum tamen causasque Resurrectionis ineptissimas adeò fovere sententias, quarum origenem haud obscure prodidit Menasse

Menasse, d. l. c. xv. ubi postquam istius opinionis (de identitate videl: functorum corporum difficultates exposuisset, ac tale, quid per naturam fieri neutiquam posse deprehendisset, sibimet ipsi sequentia objicit: *In confesso est, ac certo constat, corpus humanum ex quatuor elementis compositum esse, idemq; post mortem destrui, & partem ejus quamlibet in sua elementa resolvi, ex quibus postea alia atq; alia in infinitum ferè fiant juxta corpora. Id si ita est, quomodo in Resurrectione mortuorum idem numero corpus cum omnibus membris ac partibus suis revertetur ad constituendum & integrandum eundem numero hominem? quippe fieri potest, ut dilaniato corpore à feris, partes ejus in substantiam alterius viventis mutatæ sint: quomodo igitur restituentur eædem partes in Resurrectione? ponamus partem unam in Leonis, alteram in formicæ, tertiam in piscis substantiam esse commutatam, an forte dicemus animalia illa destructum & in partes resolutum iri, ut eæ iterum ingrediantur compositionem hominis? Profecto hoc tantundem foret, ac si quis guttulam aquæ, quam in medium*

mare

mare effuderat inde recolligere vellet. Posito etiam casu, quod ex unius hominis elementis fiat ac componatur alius homo, & uterq; meritus sit ut resurgat: qua ratione fieri potest, ut eædem portiones eidem jungantur ac copulentur corpori? quomodo de eadem portione oculi non possit fieri alius idemq; numero oculus, hinc ne fieri posse, ut idem numero corpus, eisdemq; qualitatibus, quibus ante præditum fuit resurgat. Hæc inquam quum sibi objecisset Menasse, nec viam & rationem aliam semet expediendi inveniisset, putidissimum tandem illud de osticulo figmentum & ipse amplectitur verbis paulò ante jam exhibitis. Scilicet, eò tandem deflectitur errabunda Ratio, quippe quæ cuncta potius Ingenii humani deliria mavult arripere, quam divinæ omnipotentiæ se suasq; vanissimas submittere cogitationes; admissa enim Numinis Cælestis omnipotentia, facile evanescunt inertissima hæc Ingeniorum otiosorum commenta, & nequissima τῦ μυελολίχνυ ludibria. Longe rectius TACRITUS Arabs (quo de videarur celeberrimi Hottingeri Bibliotheca Orient. p. 87.) *Non erit impossibile ILLI,*

(Sic

(sic verba ejus Arabica latinè sonant) *qui hominis cæteras q; creaturas prima vice creavit, à se creatum restituere, quandocunq; & quomodocunq; voluerit, cum* POTENTIA ipsius INFINITA sit. Et paulo post reciprocam etiam admittit illationem: Qui UNUM POTUIT, POTEST ET ALTERUM PRÆSTARE. Imò idem Tacritius tantam proterviam JUDÆIS egregiè exprobrat: *Minime oportuit JUDÆOS* (ita reddi debent Arabica,) *hujusmodi afferre objectiones, postquam ea legerint, quæ in Lege aliisq; libris Sacris recensentur miracula, quæ non alia probantur demonstratione, quam attributo veracitatis ejus qui ipsa narraverit.* Porrò ad illorum Judæorum objectionem, qui Resurrectionem allegoricam tantum somniant, ac ipsius etiam Menassis instantiam de feris, egregie respondet; *Est* (inquit,) *cum aliquem devoraverit Leo, vel alia aliqua fera, aut ipsum consumserit Ignis, ut in cineres redigatur, vel deglutierit piscis, quem alii deinde homines comederint, atq; illos rursus alii, quid hoc fiet die Resurrectionis?* Respondet; *omnia evanescere sola mentione POTENTIÆ illius, quæ homi-*

hominem prius è nihilo produxerat, & quæ alia edidisset miracula. Huic adjungemus alium quendam Arabum Theologum, PAULUM vid. Antiochenum, Antistitem Sidonium, in cujus Systemate MSCR. cap. XXII. Sermone Arabico hæc leguntur: *Quodsi quis dicet: quomodo fieri potest ut restituatur (homo) postquam jam factus est pulvis, & in partes divisus distinctas, aut periit in stomachis avium, aut ventribus piscium? quin imò posita sunt indicia (argumenta) quæ intellectus rejicere non potest; Facit enim (DEUS) palmam, ei augmentũ largitur cum reliquis arboribus, &c. ita & initium capit homo. Crescit corpus ejus judicium, intellectus & Ratio ejus, cum visu & auditu ex genitura, in qua nihil est spectabile. Sic vermiculus variis mutatur statibus, usq; diem volet volatilis instar, motu ex semine vili, ob exiguitatem suam accepto. Ita cannabis & Sinapi ex semine (assurgunt) parvo. Quod si igitur homo hæc omnia & si quæ ipsis sunt similia viderit, attenderit sciet, NIHIL DIFFICILE ESSE OMNIPOTENTI; etsi nobis magnũ videatur. Reductio enim existentiũ, au-*

thori

thori post dissolutionem facilior, quam productio nihili ad aliquid. Et ipse tandem Religionis Turcicæ antesignanus MUHAMED, Coreischitas, potentiam Divinam quoque hîc in dubium vocantes oppugnat argumentis petitis I. à CREATIONE, SUR. LXXXIV. LXXXVI. XXVIII. CLXXXIX. LXXVI. XX. II. ab OPERIBUS PROVIDENTIÆ, SURATA XXIX. & XXXV. III. à MAJORI, *Deus creavit hominem ex nihilo; Ergò facilius ex materia præexistente,* SUR. XVII. E CHRISTIANIS appositissimè AUGUSTINUS: si diligens ac solers paterfamilias probè novit ubi quidq; reconditum in ædibus suis, etiam amplissimis, quando magis Deus, cujus infinita est potentia, novit ubi reposita sit materia singulorum corporum. Et si peritus artifex novit secernere metalla & separare, quanto magis Deus materias corporum etiam confusas. Nihilominus verò garrula ista (RATIONEM intelligo) subsannationibus suis & exceptionibus multum confisa, OMNIPOTENTIÆ divinæ impiè insultat, quasi à fide prorsus alienum sit, corpora frustillatim concisa, in ven-

ventrem abjecta, ab anthropophagis in cibum ordinarium, inde chylum conversa, diversis locis, imò distinctis climatibus soluta, redire posse, & in eandem iterum coalescere massam? Ineptissimis insuper ejusmodi de ossiculo, Roreque cœlesti figmentis venerandum RESURRECTIONIS mysterium non parum obscuratur, & omninò mirandum est, illos, qui Scripturam Canonicam pro infallibili agnoscunt principio, proferre objectiones, paganorum dubitationibus nō absimiles, frustra certè in Natura & Ratione quæritur, quod à sola Scriptura Divinaq; Potentia expectandum est, si semine vitali prædita essent defunctorum corpora, certè id Philosophos veteres, sagacissimos Rerum Naturalium indagatores minime latuisset, latuisse autem, nefandi eorum de vita futura sarcasmi testantur. Huc etiam commodè refertur quod (1) in hominis morte totalis sit privatio, Ergò cunctorum etiam vitalium spirituum absentia, (2) Corrumpitur subjectum organicum, ergò etiam omnes ejus actus & potentiæ, (3) Corpus ex semine corruptibile producitur, ergo & in illud re-

solvitur, (4) quicquid S. Scriptura corporis nomine complectitur, quatenus illud ab anima rationali distinctum, est corruptibile. His & aliis etiam (quæ studio omisimus) argumentis putidissima Judæorum figmenta commodè rejiciuntur, & SS. ista Resurrectionis mysteria Divinæ duntaxat Potentiæ attribuuntur.

XVIII.

Sed miseros & excæcatos Judæos suæ vestigini relinquentes, nugas breviter perstringimus quorundam Scholasticorum, statuentium, Angelorum ministerio Cineres collectum, & ad recipiendâ humani corporis formam præparatum iri. Ast qualia tandem malesana ista non quærit ad eludendam divinam potentiam κρυσφύγετα? quis non asserente Scriptura, opus Resurrectionis Deo in solidum tribuere mallet, quam tacente imò reclamante illa, Angelis, à nutu duntaxat jussuque Numinis dependentibus? Notandus insuper Jacobus Schegkius, qui in *Antisimonio* suo omnem corporibus

bus Glorioſis denegavit materiam; *Ego* (inquit pag. 420.) *materiæ expertia corpora Glorioſa ſtatuo, quia futura ſint immutabilia, nam quod nunc mutabilia ſunt, id ineſt ipſis propter concretionem materiæ mutabilis.* Et viciſſim pag. 440. *Si corpus glorioſum materia ſit præditum, quomodo immutabile erit? cum proprium ſit materiatorum ut mutabilia ſint.* Aſt opinioni huic reclamat (1) Natura Corporis, ſi enim poſt Reſurrectionem vera & non phantaſtica habituri ſumus corpora, quomodo materiæ expertia dici poterunt? Corpus ſanè conſtituere ſine materia, eſt facere inſomnium ſine ſomno, ut rectè Scaliger Exercit. CCC LIX. Sect. II. (2) Identitas Numerica; qua enim ratione manebit eſſentiæ unitas, ſi altera eſſentialis pars planè ſit diverſa. Nec magni adeò momenti eſt ratio ad confirmandam iſtam ſententiam à Schegkio allata, de mutabilitate videlicet, naturæ corporali propriâ, hæc enim non tam competit naturæ integræ, quam corruptæ, multo minus pro parte corporum conſtitutiva habenda eſt aut ventitanda, quin potius per

novam INCORRUPTIBILITATIS DOTEM (de quâ paulò post) cum infirmitatibus & defectibus aliis à Glorioso corpore removenda erit & abolenda. Atq; hæc tandem de ipsa futurorum CORPORUM MATERIA dicta sunto.

XIX.

Explicata itaq; CORPORIS GLORIOSI NATURA atq; materia, DOTES porrò atque Affectiones NOVÆ paulò accuratiùs sunt expendendæ atq; considerandæ. Etsi verò de NUMERO & quidditate istarum qualitatum apodictice disputari vix possit, ut exin Augustinus eleganter dicere fuerit solitus: *Quod Deus præparavit diligentibus se, spe non attingitur, charitate non comprehenditur, desideria & vota transgreditur, acquiri potest, æstimari non potest:* & Lib. XXII. de Civit. Dei Cap. II. *quæ sit & quam magna Spiritualis corporis gratia, quia nondum venit in experimentum, vereor ne temerarium sit omne, quod de illa profertur eloquium;* nihilominus tamen neutiquam est vitiosæ temeritatis, aut otiosæ curiositatis, sed piæ potiùs sollicitudinis & sollicitæ pietatis, vel probabiliter duntaxat de cœlesti

disse-

differere gloria, ac sedulò inquirere; quot & quænam futuræ sint primariæ dotes aut Qualitates GLORIOSORUM CORPORUM, in isto æternæ vitæ statu beatissimo. Ne verò in tantis tenebris alicubi impingamus, vestigiis inhærebimus Apostolicis, eq; PAULINA revelatione Resuscitatorum corporum conditiones enarrabimus. Ita autem ille I. Cor. XV, 43. 44. ΣΠΕΙΡΕΤΑΙ, inquit, ΕΝ ΦΘΟΡΑ, ΕΓΕΙΡΕΤΑΙ ΕΝ ΑΦΘΑΡΣΙΑ, ΣΠΕΙΡΕΤΑΙ ΕΝ ΑΤΙΜΙΑ, ΕΓΕΙΡΕΤΑΙ ΕΝ ΔΟΞΗ, ΣΠΕΙΡΕΤΑΙ ΕΝ ΑΣΘΕΝΕΙΑ, ΕΓΕΙΡΕΤΑΙ ΕΝ ΔΥΝΑΜΕΙ, ΣΠΕΙΡΕΤΑΙ ΣΩΜΑ ΨΥΧΙΚΟΝ, ΕΓΕΙΡΕΤΑΙ ΣΩΜΑ ΠΝΕΥΜΑΤΙΚΟΝ. H.E. SEMINATUR IN CORRUPTIONE, SURGIT IN INCORRUPTIONE, SEMINATUR IN IGNOBILITATE, SURGIT IN GLORIA, SEMINATUR IN INFIRMITATE, RESURGIT IN POTENTIA, SEMINATUR CORPUS ANIMALE, RESURGIT CORPUS SPIRITUALE. E quadruplici itaque Corporum terrestrium & Cœlestium ANTITHESI, totidem etiam Dotes sive qualitates futurorum corporum erui ostendique possunt, videl. ΑΦΘΑΡΣΙΑ, ΔΟΞΑ, ΔΥΝΑΜΙΣ, ET SPIRITUALITAS SIVE SUBTILITAS.

XX.

Prima etenim Apoſtoli Antitheſis, eſt ratione DURATIONIS, quia corpus ſeminatur corruptioni obnoxium, ſuſcitabitur incorruptum, hinc derivatur prima GLORIOSORUM CORPORUM affectio, videlicet

INCORRUPTIBILITAS.

Hæc autem complectitur non ſolùm vitam atque exiſtentiam nec non ſanitatem perpetuam, verùm etiam immunitatem ab omnibus doloribus ſive paſſionibus, à fame & ſiti, à morbis & morte, juxta Apocal. VII, 16. *Non eſurient neq; ſitient amplius, nec cadet ſuper eos Sol, aut ullus æſtus:* & cap. XXI, 4. *Mors ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Hinc opportunè Auguſtinus (In Libro L. Homiliarum, Homil. XVIII) *Nemo* (inquit) *dicet poſt Reſurrectionem; viſita ægrotum quia ibi eſt Sanitas ſempiterna.* Et Ambroſius, de fid. Reſurr. quæſt. XXX. *Flos Reſurrectionis Immortalitas eſt, flos Reſurrectionis INCORRUPTIO eſt.* Aberunt enim omnes morbi, aberit νοσοποιὸς ὕλη, aberunt nævi & deformitates omnes,

aberit

aberit torpor & pigrities, aberit imbecillitas, omnisq; defectus, & ut Berhardus loquitur, *nulla ibi erit tristitia, nulla angustia, nullus dolor, nullus timor, nullus ibi labor, nulla mors sed perpetua sanitas semper ibi perseverat.* Et rursum Augustinus: *Nulla ibi fames erit, sed Deus cibus noster, solus ille cibus reficit nec deficit.* Similiter R. Saadias Gaon in Libro Haemunot, cap. 8. docet: יעתקו אל העולם הבא אשר אין בו אכילה ולא בעילה: *Fore, ut qui resurrexerint, transferantur in futurum Seculum, expers cibi & coitus.* Et juxta Authorem Migralos, Cap. VIII. R. Mosis de Pœnitent. אפשר שהבורא ישים את גויותם חזקות ובריאת כגויות המלאכים: *fieri potest, ut Deus Creator corpora hominum valida & vegeta constituat, quemadmodum corpora Angelorum.* Sicuti verò per Corruptionem terrestri corpori propriam, Apostolus tam substantiæ quam accidentium corruptionem intelligit, ita per ἀφθαρσίαν etiam utriusque perpetuam conservationem manifestè indigetat. Cum insuper affectiones & passiones in Corporibus terrestribus duplicis sint generis, quædam *maleficæ* (ut Scholastici lo-

qui amant) corpus lædentes, & atterentes, ut fames, sitis, dolor, &c. quædam *beneficæ*, beneficæ, naturam scil. adjuvantes & perficientes, ut sensuum notitiæ &c. hinc illæ tantum, non verò hæ etiam Beatis corporibus sunt denegandæ. Cum enim. v. g. oculus pulchris afficitur coloribus, neutiquam certè læditur, hujus itaque posterioris generis passiones seu affectiones Sanctis omninò sunt concedendæ, utpote quæ neutiquam Καχίωσιν sed βελτίωσιν potius in se comprehendant atq; contineant.

XXI.

Unde verò hæc Glorioſorum Corporum INCORRUPTIBILITAS porrò sit deducenda, an ex positivo quodam an verò privativo depromenda, diversi diversimodè è Scholarum Doctoribus disputant. In eo quidem omnes conveniunt ponendam esse incorruptionem in Corporibus Glorioſis per aliquid impediens passionem corruptivam, quum tamen illud dici possit vel privativum vel positivum, hocq; rursus duplex sit; vel anima, ob plenum in corpore dominium, vel dos in corpore; illud etiam seu privati-

vativum sit vel cessatio motus cœlestis, (cujus respectu juxta quosdam cessaturæ sint omnes actiones causarum inferiorum) vel non cooperatio Dei cum causis secundis corruptivis: hinc quidam statuunt incorruptionem fieri in corpore ex ANIMA, alii ex Dote, alii ex cessatione motus Cœlestis, aliqui verò ex non cooperatione Dei cum causâ secundâ corruptiva. Habes hîc velut in Synopsi Lector, prolixas non minus quam intricatas Scholasticorum de futurorum Corporum Incorruptibilitate Disputationes. Mirum autem porrò observes Scholarum conflictum: plurimi ex earum Doctoribus occupati sunt in removenda prima incorruptionis causa sive Dominii plenitudine, eò quod Angelorum etiam præcipui, per nudum voluntatis suæ imperium nõ possint impedire actionem alicujus causæ naturalis, quoniam causæ corporales non obediant Angelis ad nutum, quantum ad earum actionem atque elevationem; hinc etiam nec animam tollere istarum qualitatum actionem, quum etiam supponat eas in suo susceptivo, ergò eis non contrarietur.

Dotem ſive Qualitatem inhærentem alii propterea incorruptibilitatis cauſam nuncupare nolunt, quia corpus humanum, tanquam mixtum quoddam non ſit capax qualitatis cœleſtis, hinc qualitatem illam fore vel elementarem, vel propriè mixtam, ſed ſive ſit elementaris ſive propriè mixta, non poſſe tamen eam omnem actionem vel paſſionem impedire. Item, illam qualitatem inhærentem vel aliis qualitatibus repugnare, vel non. ſi primum, ergò non prohibere omnem actionem, ſed earum ſolùm formarum, quæ ejusdem generis cum ea ſint, ſi ſecundum; ergò non prohibere actionem alicujus illarum in aliam. Si itaque illa qualitas vel dos repugnet qualitatibus mixti, & per hoc actionem earum impediat, hinc non pugnare niſi cum iis quæ ejusdem ſunt generis proximi, atque ſic unicam ſolùm impedire illarum actionem. Ceſſationem motus propterea è cauſarum excludunt numero quod juxta Ariſtotelem II. de Generat. motus exinde dicatur generationis cauſa, quia adducat generans, ergò tantummodo

modo faciat ad præsentiam generantis respectu materiæ, hinc si sine motu haberetur eadem præsentia, æq; fieret generatio. In divina tandem voluntate, tanquam suprema Incorruptibilitatis causa pleriq; Scholastici acquiescunt, voluntatem autem intelligunt non coagentem causæ secundæ corruptivæ, atq; sic tandem concludunt, Corpora Beatorum fore incorruptibilia non potentia remota, sed propinqua, non à causa intrinseca, sed extrinseca impediente, idq; illustratur exemplo Ignis Babylonici non consumentis pueros Hebræos, non quidem per aliquam impossibilitatem intrinsecam, nec ex potentiæ passivæ carentia, nec ex contrario intrinseco impediente, sed quia Deus ex voluntate sua non cooperabatur ad illam actionem. Hactenus prima Corporum Glorioſorum qualitas sive affectio, videl. INCORRUPTIBILITAS.

XXII.

Hanc excipit altera (è secunda Apostoli antithesi derivata) videlicet CLARITAS, quia seminatur ignominiosum, sive defor-

deforme, fœdumq; aſpectu, excitatur pulchrum & divino quaſi lumine amictum. Pro ATIMIA (à Paulo h. l. corpori terreſtri attributa) Ambroſius legit *Ignominia*, S. Auguſtinus verò Epiſt. CXL. *contumelia*; Tertullianus deniq; Libr. de Reſurr. Carn. C. LII. Seminatur in *Dedecoratione*; quæcunq; verò lectio retineatur, certum eſt, illam intelligendam eſſe ſive Ignominiam ſive contumeliam quæ ex corruptione oritur, inde enim corpora ſunt deformia fœda & nauſeam cientia, præſertim jam cadavera facta. Δόξα autem h. l. notat fulgorem, lucem, & ornatum corporibus beatis poſt reſurrectionem proprium, hâc voce etiam Apoſtolus reſpondet ad argumenta illorum, qui corpora utpote craſſa & carnea incongrua eſſe dicerent animabus beatis, vitaq; divina jam fruentibus, teſte Dionyſ. Septimo de Hier. Eccleſ. capite. Ad eandem Claritatis dotem referenda eſt omnis pulchritudo corporum glorificatorum, ut quod fulſura ſint ſicut Sol, Matth. XIII, 43. & cum ſtellarum claritate comparentur, I. Cor. XV. 41. confer

Dan.

Dan. XII, 3. Rom. VIII, 18. 21. Col. III, 4. I. Petr. V, 1. Et hæc Glorioſorum corporum claritas etiam rectè ex Corporis Chriſti coràm tribus diſcipulis transfigurati ſplendore colligitur, illius enim membra Solis fulgore rutilantia Apoſtolorum perſtringebant oculos, (Conf. Matth. XVII, 2. Marc. IX, 3. Luc. IX, 29. 31.) atq; ut Hieronymus in h. l. ait: *Talis apparuit Diſcipulis, qualis futurus eſt tempore judicii.* Quia itaq; juxta Apoſtolum Phil. III. 21. *corpus noſtrum humile conforme erit corpori ejusdem Glorioſo;* hinc non incongruè ex eodem futuram noſtrorum corporũ gloriam comprobamus. Vide omninò quæ de Glorioſorum Corporum pulchritudine ſcripſit Auguſtinus Lib. XXII, de Civ. Dei Cap. XIX. Ubi inter alia: *Claritas* (ait,) *in corpore Chriſti, cum reſurrexit ab oculis diſcipulorum potius abſcondita fuiſſe, quam defuiſſe credenda eſt. Non enim ferret eam humanus atq; infirmus adſpectus, quando ille ita deberet attendi, ut poſſit cognoſci.* Egregium etiam Dotis iſtius ſpecimen datũ in vultu Moſis Exod. XXXIV, 29. 30. Unde eleganter Macarius Hom. V.

Μωϋσῆς

Μωϋσης ὁ μακάριος ὑπέδειξε τὸν τύπον ἀφ' ἧς ἐπὶ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐπαυσαμένης τοῦ πνεύματος δόξης εἰς ὃν οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀτενίσαι ἠδύνατο, πῶς ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων δοξασθήσονται τὰ σώματα τῶν ἀξίων. His adde ἐπαγγελίαν Beatis à Christo promissam Matth. XXII, 30. cum Psalm. CIV, 4. Dan. X. 6. Matth. XXVIII, 3. Marc. XVI, 5. Luc. XXIV, 4. Joh. XX, 12. Act. I, 10. adde Apoc. III, 4. Cap. IV, 7. &c.

XXIII.

Præter enumeratas verò futuræ CLARITATIS causas atq; Rationes aliam etiam reddunt Doctores Scholastici, quia videl. Corpora Glorioſa habitura ſint perfectam ſui manifeſtationem, unusquisq; ſecundam ſuam complexionem. Juxta Scotum inſuper, Bonaventuram, aliosq; clara erunt corpora non ſolum ratione coloris, ſed etiam Lucis ſuperadditæ, quâ refulgent ſicut Sol, &c. Nec tamen admiſſa etiam claritatis dote, corpora beatorum fore pervia ſeu transparentia, quia etiam color ipſis tribui debeat. Aliam inſuper movent quæſtionem circa Claritatis affectionem, videl:

An

An Corpora Glorioſa poſſint claritatem ſuam oculis noſtris occultare? Ac juxta nonnullos beatus poteſt occultare corporis ſui claritatem ex Imperio voluntatis Animæ, à quâ redundet & fluat in corpus illa claritas. Apprehendi tamen non poteſt qua ratione actio aliqua naturalis ſubſit voluntati creatæ, nulla enim voluntas creata poteſt impedire actionem ignis ne in aquam ſibi propinquam agat, & ideò videtur nullam qualitatem activam (quæ præciſè corporis ſit,) ſubeſſe animæ. Ita Scotus. Cum deniq; Lux & Color contrariam requirant in ſubjecto diſpoſitionem, corpora autem glorioſa futura ſint colorata ex Auguſt. XXII. de Civ. Dei Cap. XVIII, XIX. hinc claritatem etiam in dubium quidam vocare ſunt conati. Sed rectè reſpondetur, Lucem & colorem non repugnare abſolutè niſi per comparationem ad actionem agentis creati, in ordine verò ad agens in creatum, poſſe omninò illa Duo eidem inesſe ſubjecto.

XXIV.

Tertia Antitheſis Paulina eſt ratione Poten-

Potentiæ & Motus, quia quod in vita fuerit, pondere ſuo gravatum, excitabitur Agile, nulliq; infirmitati aut defectui obnoxium, hinc Tertia etiam oritur Corporum Beatorum affectio, videlicet POTENTIA & AGILITAS; Paulus enim per ATNAMIN intelligit virtutem ſe conferendi in momento ubicunque quis eſſe voluerit. *Ubicunq; enim volet Spiritus, ibi protenus erit corpus*, inquit Auguſtinus Lib. XXII. de Civ. Dei cap. 30. conf. Sap. III, 7. I. Theſſ. IV, 17. Sic Chriſtus etiam poſt Reſurrectionem in momento ſtetit in medio diſcipulorum cum januæ eſſent clauſæ ſine locali acceſſu, Joh. XX, 19. Et corpora mortuorum in momento ſepulchris ſuis egredientur I. Cor. XV, 32. Electi etiam ſuperſtites in adventu Domini rapientur cum Reſurgentibus piis obviam Chriſto in nubibus I. Theſſ. IV, 17. Unde Macarius (ut eum latinè loquentem inducamus) Hom. V. p. 88. *Quam gloriam in anima ſua nunc poſſident Sancti hac tum teget & operiet corpora nuda, & ad cœlos rapiet. Cum enim Deus conderet Adam, non aptavit ei corporeas alas, ſicut*

sicut & volatilibus; nempe præparans ei alas Sancti Spiritus, quas videl. donaturus erat illi in resurrectione, quæ ipsum allevarent & raperent quo Spiritui bonum videretur. Quas quidem alas etiamnunc animæ Sanctorum obtinent, quæ mente evolant ad cogitationes cæleſtes.

XXV.

An verò Virtus ista motiva seu AGILITATIS Donum sit unum idemq; cum Anima, an verò in eâdem saltem, acriter rursus Doctores Scholastici disputant. Ante omnia verò notandum, quid illi Agilitatis nomine intelligant. In genere autem juxta eosdem notat Habilitatem in aliquo ad promptè movendum se eo motu, cujus principium est Anima, cum corpus agile moveat se secundum locum non motu naturali (cujus principium est elementum prædominans,) sed animali. Quoniam verò habilitas ad movendum non est in aliquo toto nisi concurrente virtute motiva & mobili, ideo (juxta illos,) ad rationem Agilitatis in specie requiritur perfectio virtutis motivæ in anima, & congrua dispositio ex parte cor-

poris motui isti non repugnans. Definitur itaq; in Scholis AGILITAS per habilitatem in aliquo toto ad promptè movendum se secundum locum ex perfectione virtutis motivæ animæ, & congrua dispositione corporis. His itaq; præmissis omninò notandum est ex parte corporis aliquando removendum esse impedimentum, ex parte organorum virtutis motivæ, quod est in junctu ris & nervis, qua ratione fit mobilitas facilior, & amotio istius impedimenti maximè requiritur ad Agilitatem. Deinde promptitudo hæc ad movendum à Scholasticis neutiquam dicitur supernaturalis, sed intensio potius virtutis motivæ ex parte animæ, & collatio bonorum Spiritualium in corpore. Asserit Suarez, Beatorum Corporum Agilitatem talem tantamq; fore, ut Beati in instanti ab uno loco in alium transire possint, non transeundo spatium medium; quia probabile sit etiam Angelos hâc ratione moveri. Alii verò verisimilius id omninò negant. Mens sane hominis concipere vix potest, quomodo quis sub extumo in extremum

mum possit moveri, nisi transeat spatium medium, quod interjacet.

XXVI.

Quarta deniq́ue Antithesis Apostolica superiorum omnium est fundamentum, triplicemq́ue ante allatam differentiam comprehendit. Dicitur enim Seminari corpus animale, excitari SPIRITUALE: Hinc quarta etiam emergit futurorum corporum affectio, utpote SPIRITUALITAS seu SUBTILITAS. Voce autem ista Apostolus non intelligit Spiritem quandam substantiam, sed vim & ἐνέργειαν subtiliter se movendi, & quocunque ingrediendi & egrediendi, absq; impedimento alterius corporis; Indigetatur etiam hoc vocabulo Spirituale corporis Regimen, quod non vacabit amplius terrenis aut animalibus operationibus, non indigebit, cibo, potu, vestitu & similibus, in nulla parte resistet amplius Spiritui, sed eidem per omnia subjectum erit. In quam sententiam Augustinus de Fid. & Symb. cap. VI. *SPIRITUALE* ait, *dicitur corpus, non quasi in Spiritum vertatur; sed quia ita Spiritui subditum erit, ut*

Cœlesti habitationi conveniat, omni fragilitate ac labe terrena in cœlestem stabilitatem mutata atq; conversa. Idem tamen ibidem cap. X. videtur statuere in Resurrectione fore non carneum corpus sed angelicum, unde etiam id retractat Lib. I. c. 17. Retract. & fus. Lib. ult. de Civ. Dei c. 5. & 21. Idem Aug. contra Adimantum Manichæum cap. XII. egregiè de Spiritualitatis dote differit h. m. *Quod Spirituale dixit corpus futurum in Resurrectione, non propterea putandum est, quod non corpus sed Spiritus erit, sed Spirituale corpus omnimodo Spiritui subditum dicit, sine aliqua corruptione vel morte. Non enim quia quod modo habemus corpus animale appellant, ideò putandum est, non illud esse corpus sed animam. Ergo quemadmodum corpus animale nunc dicitur, quia subditum est animæ, Spirituale autem nondum dici potest; quia nondum Spiritui plene subjectum est, quam diu corrumpi potest; sic & tunc Spirituale vocabitur, cum Spiritui atq; æternitati nulla corruptione resistere poterit*, conf. Epist. CXXV. ad Consen. Nec tamen ista subtilitatis affectio erit qualitas animæ in-

mæ infusa, sed divinæ potentiæ assistentia, qua corpus ad libitum poterit deponere illam duritiem repletivam cum vult aliud corpus penetrare, possit & illam retinere cum vult locum replere, & alia corpora excludere. Præterea operationum etiam ratione Corpora Beatorum dici possunt Spiritualia, illa enim tantum Spiritualibus vacabunt, nempe partim iis, quæ corporis organum requirunt ad bonum tamen animæ pertinent; cujusmodi est beatifica visio, quæ corporeis oculis fit; partim illis quæ corporis organo non indigent, qualis eadem visio est, quatenus solo fit intellectu. Etsi verò in hâc etiam vita corpus Spiritui serviat, neutiquam tamen exinde Spirituale nuncupari potest, cum imperfectè saltem id ipsum fiat, quam in rem egregiè Tertullianus Lib. de Resurr. cap. LIII. *Quid ergò dicemus, nonne & nunc habet caro Spiritum ex fide, ut quærendum sit quomodo corpus animale dicatur seminari. Plane accepit & hîc Spiritum caro, sed arrhabonem; animæ autem non arrhabonem sed plenitudinem. Itaq; etiam propterea majoris substantiæ nomine*

animale corpus nuncupata est, in qua seminatur, futura proinde per plenitudinem Spiritûs insuper Spirituale, in quâ resuscitatur. Quid mirum? si magis inde vocitata est, unde conferta est, quam unde resperſa est?

XXVII.

Ex ista verò SPIRITUALITATIS dote oritur PENETRATIO DIMENSIONUM, cum enim Corporibus Glorioſis non competat craſſities & durities repletiva, h. e. proprietas illa quantitatis corporeæ qua locum ita replet, ut omne aliud corpus ab eo excludat, hinc corpora proprietate iſta deſtituta erunt adeò ſubtilia, ut inſtar Spiritus omnia alia corpora penetrare atq; pervadere poſſint. Huc videndus Damaſcenus, Lib. IV. de Fid. cap. 28. & Epiphan. de Hæreſ. Origen. ubi inter alia: *Sicuti Deus poteſt ab homine auferre ſuam proprietatem, ſc: eſſe viſibile, & ab igne poteſt auferre calorem igni proprium: ſic à quantitate poteſt auferre hanc duritiem repletivam, quæ eſt quantitatis naturalis proprietas.* Eadem penetratio conſtat Exemplo Chriſti redivivi

vivi ac Discipulos foribus clausis accedenti; Johann. XX, 19. Ubi non solum temporis vespertini est descriptio, sed modi potissimum notatio, quo nimirum Christus ad Discipulos fuerit ingressus, ideò repente stetit in medio ipsorum ut Spectrũ se videre putarent, Luc. XXIV, 37. Hinc August. Tract. 121. in Joh. Moli corporis ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inviolata permansit. Sic in Resurr. ipsum corpore suo per lapidem sepulchri transiisse existimant Justin. Martyr quæst. CXXVII. & Theophyl. in cap. XXVIII. Matth. De foribus clausis similia habet Beda in Psalm. 52. Quando Januis clausis Dominus noster ad Discipulos ingressus est, ibi quippe caro vera erat, sed Deitate quæ eandem carnem possidebat, efficiente, ita penetrabat claustra, ut sui nulla relinqueret vestigia. Et rursum August. Serm. CLVI. *Quomodo repellere eum potuit objectus repaguli, quem non coercuerat pondus sepulchri? Imo quomodo eum obserata domus excludere potuit,*

tuit, quem includere mortis porta non potuit. Hisce rationibus atq; testimoniis adeò convictus est Marloratus, ut communem suorum opinionem deseruerit aperteq; in cap. XX. Joh. scripserit: *Quod Christus januis clausis venit ad discipulos, divinæ in illo potentiæ illustre specimen continet. Nam quod putant reseratas illi fuisse fores per aliquem, aut humano more ingressum, prorsus à mente Evangelistæ discrepat. Sic igitur habendum, Christum non sine miraculo ingressum.* Prolixas verò Scholasticorum hâc de penetratione pariter ac subtilitatis qualitate Disputationes, otiosas magis quam utiles aut necessarias studio omittimus, & à præsenti Glorioforum Corporum σκέψει divellimus atque separamus.

XXVIII.

Hunc verò quaternarium futurarum Dotum, sive Affectionum numerum aliunde etiam diversi, diversimodè tamen ostendere conantur. Alii desumunt illum à causa finali, alii ab efficiente, à formali quidam, nonnulli deniq; à materiali. Pleriq; tamen causam ultimam tanquam

tanquam rationi convenientiorem amplectuntur. Cum enim corpus noſtrum ex quatuor componatur elementis, hinc etiam ab iisdem quatuor defectus ſive imperfectiones contrahere, videl. ab aqua tanquam elemento humido & paſſibili, paſſibilitatem & corruptionem, à Terra obſcuritatem, ab igne animalitatem, ab aëre deniq; infirmitatem. Quia ltaq; iſti defectus à corpore removendi ſunt, hinc Glorioſis Corporibus tribuendæ quatuor dotes, quibus iſtæ removeantur, adeoq; loco corruptionis (dicunt) fore incorruptionem, loco obſcuritatis Claritatem, loco Animalitatis Spiritualitatem, loco deniq; infirmitatis virtutem ſive agilitatem. Ex formali autem cauſa qualitates iſtæ peti poſſunt h. m. Cum in corpore noſtro forma ſive natura duplex occurrat, ſcil. elementaris & cœleſtis, quæ etiam naturæ lucis reſpondet; Lux verò quatuor iſtas contineat proprietates, (ſcil. claritatem, quia illuminat; impaſſibilitatem, quia nihil ipſam corrumpit; agilitatem, quia ſubito vadit, penetrabilitatem, quia corpora diaphana

ſine eorum corruptione pertranſit;) hinc etiam Corpus Glorioſum in quo Natura lucis dominetur, quatuor iſtas poſſidere dotes ſive affectiones. Etſi verò hæc nec abſurda adeò nec veritati omninò adverſa appareant, (cum huic conſentaneum ſit, quatuor iſtos corporum terreſtrium defectus, corruptionem, obſcuritatem, infirmitatem & animalitatem totidem novis iisq; contrariis qualitatibus eſſe corrigendos,) longè tamen evidentius addo & accuratius, è quadruplici iſta Corporum Terreſtrium & Cœleſtium antitheſi Paulina, numerus iſte colligi oſtendiq; poteſt. Ille enim easdem dotes deſumit ex ordine atque comparatione ad illos effectus quos removet (ut cum Scholaſticis loquamur,) eodem modo ut Auguſtinus Lib. XXII. de Civ. D. cap. X. *Aberit* (inquit) *à corporibus noſtris omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio; omnis deformitas per claritatem, omnis tarditas per agilitatem, omnis infirmitas per ſubtilitatem, omnis corruptio per impaſſibilitatem.* Quidam ineptè magis quam ingenioſe è verbis Sapient. III.

Fulge-

Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, numerum istarum qualitatum elicere conantur, ubi juxta illos in fulgore notetur *claritas*, in justitia (quæ perpetua sit & immortalis,) *impassibilitas*, in scintillæ nomine *subtilitas*, in discursu *agilitas*. Ita Bonaventura in IV. Dist. 49. p. II. art. 2. quæst. 1. Sed satis incommodè. Antequam verò ad alia progrediamur, Synagogæ etiam de novis Corporum Beatorum dotibus sive qualitatibus sententiam audiemus. Si verò vetustiorum pariter ac recentiorum Judæorũ monumenta evolvantur, apparebit, quosdam quatuor istarum affectionum gradus, quosdam verò quinq; statuere, nempe quod futurũ sit corpus משוט קיים קלהתנועה בהיר במראה כמעשה לבנת הספיר נעלם הראות כעין אליהו מוכן לקבל זוהר אלהים ואור פני מלך חיים כמעשה חלבנה שהוא גוף מקבל אורו: h. e. *Simplex, permanens, agile, pellucidum, instar lapidis Saphiri, visum fugiens instar Eliæ, idoneum ad recipiendum splendorem Dei, & lucem vultus Regis vitæ, instar Lunæ, quæ est corpus lumen suum aliunde accipiens.* Ita

velut

velut in Synopsi Ebræorum de Corporibus beatis placita exhibet R. Juda Zabara. Alas etiam iisdem (ut idem tradit) attribuunt, quarum tamen nomine non intelligunt כנפים ממש *alas propriè sic dictas*, אבל רצונם לומר שיהא נוסף בהם ענין מלאכותיו עם קלות גופם שיהיו ראוין לעמוד על פני המים: *Sed indigetare voluisse, additum illis in proprietatem quandam Angelicam, unacum corporis sui levitate, quâ vel aquæ superficiei insistere possint.* Ex quo sanè patescit, quam malitiosè Zabara iste scripserit, Christianorum de qualitatibus istis sententias vel à Judæis demum acceptas; vel in Christianorum Scholis non dilucidè satis aut plenè easdem fuisse propositas aut explicatas. Testantur sanè vetustissimorum nostrorum Theologorum monumenta, dotes istas è purissimis Sacrarum Literarum fontibus, non verò turbidissimis Rabbinorum lacunis haustas esse atq; derivatas.

XXIX.

Hisce itaque è Paulina revelatione constitutis atq; explicatis GLORIOSORUM CORPORUM Dotibus atq; Qua-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [100] - 76
PUBLIC DOMAIN

Qualitatibus, adjungimus INTEGRITATEM seu Perfectionem Integralem & Accidentalem, qua, Corpora Glorioſa, omnibus membris conſtantia, abſq; nævo & deformitate ſunt futura. Nec ullus fermè unquam repertus eſt, qui talia corpora beatis denegaverit, cùm imperfectiones & deformitates omnes lapſum protoplaſtorum ſint ſubſecutæ, videl. cicatrices, ex vulnere reſiduæ, membrorum mutilationes, cum variis morborum ſeminibus aliisq; ad φθορὰν pertinentibus. Optimè Augùſtinus in Enchi. C. 91. *Reſurgent* (inquit,) *Sanctorum corpora ſine ullo vitio, ſine ulla deformitate, ſicut ſine ulla corruptione, onere, aut difficultate.* Juxta Auguſtinum itaq; *ſervatâ ſubſtantiæ integritate ſola deformitas peribit.* Idem Auguſt. Lib. XXII. de Civ. D. Cap. XIX. Sic ſcribit: *Proinde nulla erit deformitas, quam faciat incongruentia partium, ubi & quæ prava ſunt corrigentur, & quod minus eſt, quam decet, unde creator novit inde ſupplebitur, & quod plus eſt quam decet, ſervata materiæ ſive maſſæ integritate detrahetur.* Huc etiam quadrat ſimilitudo grani

à Pau-

à Paulo ad illustrandum Resurrectionis mysterium adhibita: quemadmodum enim à grano seminato palea & gluma perit, substantia ipsa minimè; ita futurum est, ut quod in humanis corporibus instar paleæ est, depereat. Unde rursus August. l. d. *Non est metuendum macris pinguibusq;, ne ibi tales sint, quales si possent, nec hic esse voluissent; sed nec lippi, lippi erunt*, addit Vignerius. Disertè etiam do-Scetcriptura in mortuorum resuscitatione futuram ἀποκατάστασιν πάντων *plenam omnium restitutionem*, Act. III, 20. quæ sanè cum levissima corporum beatorum deformitate consistere nequit. Cum insuper juxta Phil. III. 21. corpora nostra conformia sint futura Glorioso Corpori Christi, istud autem omni ex parte integrum perfectumq; resurrexerit, hinc nostrorum etiam corporum futura perfectio neutiquam in dubium vocari poterit. Circa hanc tamen Beatorum corporum integritatem occurrunt quæstiones quædam arduæ non minus quam jucundæ, nunc quoque à nobis breviter expediendæ atq; solvendæ.

XXX. No-

XXX.

Nobile ſtatim de ÆTATE ſive STATURA CORPORUM GLORIOSORUM ſe offert ζήτημα, *qua ſcil. corporis quantitate homines ſint reſurrecturi, nunquid Infantes ſuis corpuſculis, & Gigantes ſuorum corporum mole aliquando ſint apparituri?* Non verò adultos ſolùm, verùm etiam pueros perfecta in ætate prodituros maximi quidem nominis viri contendunt. Inter quos agmen ducit ipſe B. Auguſtinus, utpote qui XXII. de Civ. D. c. XV. docet, infantes Reſurrecturos majori corporis mole, quam qua obierint, imò tanta quam habuiſſent, ſi unquam ætatem virilem attigiſſent. *Reſtat* (inquit,) *ut ſuam recipiat quiſq; menſuram, quam vel habuit in juventute, etiamſi ſenex eſt mortuus, vel fuerat habiturus ſi ante eſt defunctus.* Et cap. ſeq. *Reſurgent omnes tam magni corpore quam vel erant, vel futuri erant in juvenili ætate.* Totum etiam cap. XC. Enchir. ad Laur. huic ſententiæ confirmandæ atque ſtabiliendæ impendit. Eadem eſt ſententia Ambroſii, ſive alius in fragm. de Reſurr. Et B. Hieronymus Epiſt.

Epist. LXI. c. 11. *Mirarîs* (ait,) *si de infantibus & senibus in perfecti viri ætatem resurrectio fiat; quum de limo Terræ, absq; ullis ætatum incrementis consummatus homo factus sit.* Similiterq; Julianus Pomerius apud Jul. Toletan. Lib. III. προγν. cap. 20. Ut universus propemodum Doctorum Scholasticorum chorus eandem opinionem strenuè defendit, præeunte ipso magistro sentent. Thomâ aliisq; quibus è recentioribus adde G. J. Vossium Disp. Theol. XVII. Num. 21, 22.

XXXI.

Quâ occasione verò Patres isti Sanctissimi, non minus quam Doctores illi Angelici sive Seraphici in has animi vexationes inciderint, meritò nunc declarandum atq; explicandum. Observamus autem præcipuum sententiæ istius fundamentum niti loco Paulino Ephes. IV, 13. malè ad Resurrectionem carnis relato. Ita enim Paulus: Μέχρι καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως, καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ εἰς ἄνδρα τέλειον, ΕΙΣ ΜΕΤΡΟΝ ΗΛΙΚΙΑΣ ΤΟΥ ΠΛΗΡΩΜΑΤΟΣ ΤΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ. Quæ verba Augustinus ipse

ipſe (Lib. XXII. de Civ. D. c. XVII.) vertit: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei in Virum Perfectum, in menſuram ætatis PLENITUDINIS CHRISTI.* Hinc itaq; colligebant, corpora reſuſcitatorum fidelium omnia ſtaturam CORPORIS CHRISTI æquatura, vel, nos ea ſtatura corporis reſurrecturos, eaq; forma & ætate, qua fuit Chriſtus vir perfectus, nempe anno ætat. XXX. Longè rectius ad h. l. Haymo, (qui ante annos ferè DCCC. Halberſtad. Eccleſiæ Epiſcopus fuit.) *Quidam hoc modo illud intelligunt quod in generali Reſurrectione omnes in eadem ætate reſurgent, in qua Chriſtus reſurrexit, cujuscunq; etiam ætatis fuerint.* Subjicit autem: *Licet contra fidem non ſit, tamen melius eſt, ut aliter intelligamus, Virum perfectum appellat Chriſtum cum omni corpore ſuo, quod non erit perfectum, quousq; omnes electi compleantur.* Et quis quæſo non deprehendit, locum iſtum Paulinum nihil prorſus conferre ad ſtabiliendam iſtam de adulta beatorum omnium ætate ſententiam, cum Paulo ibid. ſermo

potius sit de Spirituali fidelium in hâc vita incremento in fide & charitate. Et cum continuò viro perfecto opponat parvulum fluctuantem, & in fide instabilem, patet inde, virum perfectum appellari eum, qui in FIDE Perfectus sit, sicuti etiam ex Latinis interpretantur Ambrosius & Hieronymus, è Græcis Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius. Ipse proinde Apostolus explicat versu 14. cui rei servire debeat plena staturæ Christi mensura, ut sc. non simus amplius pueri fluctuantes, & circumlati quovis doctrinæ vento, ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων in versutia ἀὸς μεθοδείαν seductionis. Nec obstat quod Apostolus in singulari dicat: In virum perfectum, quomodo & Syrus vertit: *Donec omnes fiamus unus homo perfectus*; non enim loquitur de singulis singulatim, sed de mystico Christi corpore, quod adolescet in Christo, usq; dum perventum erit ad perfectionem ac virilem quasi ætatem, quod demum futurum in Resurrectione universali. Et ipse tandem Augustinus Lib. XXII. de Civ. D. c. XV. &

ex

ex eo Julian. Toletanus Lib. III. προγν. c. 20. ac Longob. Lib. IV. Dist. 44. innuunt adultam omnium ætatem ex isto Apostoli loco non satis comprobari.

XXXII.

In istas nihilominus Animi angustias boni Patres se conjecerunt, dum irrisiones Gentilium reformidarent, eorumq; argumenta, quandam veritatis speciem habentia, refutare conarentur. Pagani enim ad oppugnandam resurrectionem pleno ore semper objiciebant Christianis eadem, quæ hodie nobis Athei: Utrum macri, utrum pingues homines sint resurrecturi? utrum puerili, utrum virili ætate, utrum recti, utrum gibbosi? Patres verò cum pulchra quæq; & decora piorum corporibus, maximo resurrectionis commendandæ Zelo atque studio attribuissent, hæc & alia de perfecta beatorum omnium ætate tradidêre. Si verò has & similes curiosas magis quam necessarias Disputationes aut definitiones Patres omninò declinâssent, non à paganorum solùm insultationi-

bus semet ipsos liberâssent, verum universæ etiam Religioni Christianæ longe rectius consuluissent, quale enim futurum sit uniuscujusq; corpus, tunc intelligemus, cùm Resurrexerimus cum illis. Si tamen omninò aliquid dicendum, tutissimè assereretur, mortuos resurrecturos eâ staturâ ac corporis magnitudine, quam habuerunt ubi ex hâc vita migrarunt, argumento potissimum è cap. XX, 22. & XI, 18. 19. Apocal. desumto, ubi Scriptor Apocalypticus testatur *sè vidisse stantes coram Deo mortuos magnos & PUSILLOS*, qui loci adeò manifesti sunt, ut quæ regerant, vix inveniant illi, qui priorem sententiam tuentur. GERH. JO. VOSSIUS quidem d. l. Disp. XVII. & XXI. contendit, Locis istis non indicari QUANTI, sed QUI resurrecturi sint; Ast juxta hanc explicationem neutiquam opus fuisset apertissima ista resuscitandorum differentia, nemo certe (illa etiam non adhibita,) gloriam cœlestem parvulis denegasset. Accedit, quod tunc temporis Johanni status futuri seculi exactissimè fuerit exhibitus, adeò, ut quemadmodum

dum hîc cerneret tantam beatorum (ratione ætatis aut staturæ) differentiam; ita & illa quoq; olim in cœlesti beatorum sede sit apparitura. Alicujus forte momenti esset Vossiana exceptio, si Johannes duntaxat Magnos cum parvulis prodituros affirmasset, nec ipso simul actu coram cœlesti throno conspexisset.

XXXIII.

Nostra porrò sententia egregiè firmatur, exinde, quòd EADEM omninò NUMERO corpora ad vitam sint revocanda, veluti supra jam evicimus. Non enim satis intelligi potest, quomodo servetur corporis Identitas, si materia quæ partem essentialem constituit, subito tantoperè varietur, & addatur peregrinæ, quæq; sub ista forma nunquam fuerit. Priori certè non tam accederet, eamq; augeret, quàm omnino consumeret aut absorberet. Et valet omninò illa consequentia: Diversam fore resuscitandorum staturam, quia diversa fuerit viventium, etsi illam prorsus rejiciat B. Augustinus, Enchir. ad Laur. cap. 90. his verbis: *Nec illud est consequens, ut ideò diversa*

sit statura reviviscentium singulorum, quia fuerat diversa viventium; sed si hoc est in consilio creatoris, ut in effigie sua cujusq; proprietas & discernibilis similitudo servetur, in cæteris autem corporis bonis æqualia cuncta reddantur, ita modificabitur illa in unoquoq; materies, ut nec aliquid ex eâ pereat, & quod alicui defuerit ille suppleat, qui etiam de nihilo potuit quod voluit, operari. Si autem in corporibus Resurgentium rationabilis inæqualitas erit, (sicut est vocum quibus cantus impletur,) hoc fiet cuiq; de materia corporis sui, quod & hominem reddat æqualem Angelicis cœtibus, & nihil inconveniens eorum ingerat sensibus, &c.

Circa hunc Augustini discursum observandum, duplicem in eo confundi quæstionem, & utramq; iisdem fundamentis perperam sumtis, fulciri: Prima; utrum piorum omnium inter se statura & corporis magnitudo futura sit æqualis; Altera, utrum in corporibus piorum aliqua formæ & figuræ dissimilitudo sit expectanda. Statura itaq; cum faciei rum similitudine manifestè confundi- ur. Hæc itaq; Augustini & seculi istius homi-

hominum ab Ethnicis vexatorum fluctuatio, propter quam in tantos se conjecêre laqueos, concessa verò ista de resurgentium (quoad faciem) similitudine, quomodo quæso verum erit, quod ipse Augustinus alibi vid. Serm. CLII. de Tempore, (ait) fore tunc, ut invicem & alter alterum *agnoscamus*? Sapientior itaque factus Augustinus tandem in Libro de Fide & Symbolo cap. X. prudentius perpendit hæc Pauli verba: Hoc corruptibile &c. prioremq; de similitudine Beatorum corporum correxit opinionem. Nec incommodè idem Lib. XXII. de Civit. D. c. 15. *Nihil oberit* (inquit,) *etiamsi erit infantilis, vel senilis corporis forma, ubi nec mentis, nec ipsius corporis ulla manebit infirmitas. Unde etiam si quis in eo corporis modo, in quo defunctus est, resurrecturum unumquemq; contendit, non est cum illo laboriosa contradictione pugnandum.* Et cap. XX. *Si contenditur in ea quemq; corporis statura resurrecturum esse, in qua defunctus est, non pugnaciter resistendum est.* Ita & nos non pugnaciter resistemus, multo minus damnabimus eos, qui

beatorum omnium ætatem aut ſtaturam adultam & perfectam fore contendunt.

XXXIV.

Nec minor de SEXU Futurorum Corporum inter eruditos eſt contentio, cum ex iſto quoque Apoſtoli loco (Epheſ. IV, 13.) perperam nonnulli ſtatuerint, omnes VIRILI in Sexu reſurrecturos. Baſilius certè in Pſalm. CXIV. Tom. I. p. 299. Hilarius in Cap. XXII. Matth. & Athanaſius Serm. III. contra Arrianos apertè docuerunt; Tollendum eſſe ſexus diſcrimen. Quo etiam referri poſſet illud, quod Macarius hom. XXXIV. ait: ἐκεῖ ἄρσεν καὶ θῆλυ, εἰς θεϊκὴν γὰρ φύσιν πάντες μεταβάλλονται. Patres hoſce ſequitur, Scotus in II. Diſt. xx. per tot. Ubi expreſſè docet, omnes feminas exceptâ B. Virgine reſurrecturas in ſexu virili. Et Guido Carmelita eandem ſententiam tribuit Armeniis, quos compulſos ait iſtis Apoſtoli verbis ad Rom. VIII. *Quos præſcivit, hos prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii Dei.* Magis miramur ipſum H. Grotium neutiquam ab iſta abhorrere ſententia, cum

in

in XXII. Cap. Matth. apertè ſcripſerit, *ſe non videre, quam certis nitatur rationibus, quòd quidam volunt etiam in illo ſeculo manifeſtum fore diſcrimen ſexuum.* Videri enim (pergit ille,) *poteſt id diſcrimen pars eſſe* τῆς ἀφθαρσίας *quæ tunc erit ceſſatura, imò ſpecies omnis ac figura* τῷ φθαρτῷ *obvelanda videtur* ἐνδύματι τῆς ἀφθαρσίας. *Atqui* τῷ φθαρτῷ *apertum indicium* τὸ γεννητικὸν. *Veterum ſane non pauci arbitrati ſunt, non futurum tum* ἄῤῥεν *atque* θῆλυ *ut Hilarius. Theodoretus quoque hujus loci qui nunc eſt præ manibus authoritatem ſequens demonſtrat in Angelis non eſſe ſexuum diſcrimina.* Hæc Grotius, cujus Gloſſam ipſe textus (Matth. XXII.) refellit, Chriſtus enim dum ait; *neque nubent neque nubentur*, apertè Sexus differentiam indicat; Neq; enim nubent, ſcil. mulieres, neq; nubentur, ſcil, viri.

XXXV.

Patres quidem ſententiæ hujus (tanquam ſerio ab iisdem defenſæ,) ſtigmate notare nollem, illosq; de Sexus ſaltem uſu, non verò affectione ipſa magis intelligerem; Scotus verò l. d. apertè de af-

fectione ipsa loquitur (eam sc. cum usu sublatum iri,) nisi quod solam hinc excipiat B. Virginem. Qui error non aliunde manavit, quam quod Scotus falsò sibi persuaserit sexum femininum humanæ naturæ esse Imperfectionem, (ut ipse loquitur,) cum tamen id manifestè repugnet primævæ creationi, ipsiq; integritatis statui, in quo Deus creavit masculum cum femina (Gen. I, 17.) absq; omni certè Imperfectionis suspicione. Nec malè Georgius Stengelius cap. XVII. de Monstris, *Scotus* (inquit) *in sexu femi-*
nino agnoscit imperfectionem, atq; idcircò reliquas feminas putat in viros commutandas, cur eam Imperfectionem Soli Deiparæ attribuit? quæ ut in hâc vitâ virtute omnium perfectissima fuit feminarum, cur tunc sola illis cedet sexus imperfectione? Alii adversarii qui neq; hanc Virginem excipiunt, quæ probatissimè cum corpore in Cœlum est assumta, non debent eam invocantes dicere Sancta Maria, sed Sancte Maria ora pro nobis, & Ibid. p. 626. §. 15. *Quam absonè diceretur: Hic vir fuit Mater Dei: Hic Monica fuit Mater Augustinis Hic vir Thecla*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [114] - 90
PUBLIC DOMAIN

cla inter feminas Protomartyr fuit. Quia noluit nubere; Hic mas fuit Machabæorum aut filiorum Zebedæi mater &c. Locus deniq; Apoſtoli, Rom. VIII. perperam ab Armeniis pro ſententiæ iſtius fundamento habitus, non de ſexu, ſed de conformitate cum Chriſto primum in cruce deinde in gloria loquitur.

XXXVI.

Rectius itaq; h. l. B. Auguſtinus Lib. XXII. de Civ. D. c. XVII. *Qui ergo* (ait) *utrumq; ſexum inſtituit, utrumq; reſtituet, nuptias Dominus negavit futuras in Reſurrectione, non feminas*, conf. cap. LXXVII. de Dogmat. Eccleſ. In eod. dogmate ſumma reliquorum Patrum eſt conſenſio, vid. Tertullian. cap. LX. de Reſurr. Ambroſ. in fragm. de eâd. Hieron. Epiſt. ad Pammach. Julian. Toletan. Lib. III. *πρωγν.* cap. 24. Ubi etiam laudat verba Præceptoris ſui Eugenii, Toletanæ ſedis Antiſtitis; *Erit tanta ac talis corporis feminini pulchritudo, ut oblectet intuitum, & cor nullatenus inflectat ad vitium.* Idem communiter docent Scholaſtici omnes in IV. Diſt. XLIV. Et ſanè ſi idem numero cor-

to corpus resurget, etiam affectiones ejus gloriæ nihil detrahentes remanebunt, è quibus præcipuè Sexus. Nec tivi litio digna quorundam exceptio, Sexum sc: femininum virili longè inferiorem longeq; ignobiliorem esse, cum illud non sit ratione sexus ipsius, sed ratione subjectionis & imbecillitatis. Cum insuper Sexus femininus etiam in Innocentiæ statu habuerit locum, ex eorum sanè classe esse nequit, quæ vel primævæ integritati, vel futuræ gloriæ minus conveniunt. Appositissimè Augustinus, Lib. XXII. de Civ. Dei, cap. 17. *Corporibus vitia detrahentur, Natura servabitur, non est autem vitium Sexus femininus, sed Natura, quæ tunc quidem & à concubitu, & à partu immunis erit, erunt tamen membra feminea non accommodata usui veteri, sed decori novo, quo non alliciatur adspicientis concupiscentia, quæ nulla erit, sed Dei laudetur Sapientia, atq; clementia.* Etsi verò loco eod. D. Augustinus rejecerit quorundam opinionem, statuentium, omnes in Sexu virili resurrecturos; non indicat tamen qui fuerint sententiæ istius assertores,

tores. Author tamen est B. Hieronymus epist. ad Pammach. in errore isto fuisse Origenem : Et epist. 27. ad Eustoch. de obitu Pauli narrat, quendam hæreticum fortasse Origenistam, aggressum esse Paulum, ac contra resurrectionem, hoc inter cætera argumento differuisse: *Diversitas maris & feminæ aut erit, aut non erit, si erit, sequenter & nuptiæ & concubitus, sed & generatio, si non erit, sublata diversitate sexus eadem corpora non resurgent.* Atq; hunc errorem etiam refellit Augustinus, quia sc: Christus detrahet tantum vitia naturæ, naturam verò ipsam non mutabit, at sexus femininus non est vitium, sed natura. Et Christus ipse, dum Matth. XXII, 30, asseruit, quod homines in altera vita neq; ducant uxores, neq; nubant discrimen sexus manifestè innuit, ut paulo ante ostendimus, non defuere tamen, qui ex illa ipsa Salvatoris cum Sadducæis Disputatione, sententiam contrariam exsculpere sunt conati, eò quod Christus ibid. Sanctos post Resurrectionem ΙΣΑΓΓΕΛΟΥΣ nuncupet, in Angelis autem Sexus discrimen non reperiatur.

tur. Illa verò conformitas Angelica minimè consistet in Sexus feminini abolitione, sed Angelica quasi puritate, castitate, atq; immortalitate, quod adeò manifestum est, ut prolixiori explicatione neutiquam opus habeat.

XXXVII.

Alia occurrit de ABORTIVIS fœtibus quæstio, *utrum scil. & illi sint Resurrecturi, cunctaq; Glorioſi Corporis axiomata exhibituri?* Oportunè autem B. Augustinus Enchir. ad Laur. cap. LXXXV. distinguit inter fœtus Abortivos jam *formatos*, & *informes* (eandemq; distinctionem postea transscripsit Lombardus Lib. IV. Dist. 44. c. Illud etiam.) *Si enim* (inquit Augustinus,) *resurrecturos eos dixerimus, de his, qui jam formati sunt, tolerari potest utcunq; quod dicitur. Informes autem abortus, quis non proclivius perire arbitretur, sicut semina quæ concepta non fuerunt?* Optime! *formati resurgent*, ait, *informes non item*, quia similes sunt seminibus rerum, non conceptis sed corruptis. Formatos autem fœtus illos appellat, in quibus non tantum principalium viscerum, jecoris, cordis,

cordis, cerebri, apta atq; congrua disposítio apparet, sed in quibus reliquorum etiam membrorum formatio deprehenditur. *Et accessurum est* (porrò minus rectè inquit Augustinus,) *illis fœtibus in resurrectione, quod temporis & ætatis spatio affuturum erat, quia hoc materiæ jam inerat* δυνάμει *& potentia quidem, ut loquuntur in Scholis.* Etsi verò Augustinus, Lib. XXII. de Civ. D. cap. 13. idem argumentum tractet, nec distinctionem istam usurpet, quæstionem tamen ut affirmare, ita negare non audet, *quamvis* (inquit) *non videam, quomodo ad eos non pertineat Resurrectio mortuorum, si non eximuntur de numero mortuorum.* Rectè hoc postremum. Etenim si animam Rationalem unquam sunt adepti, utiq; per ejusdem à corpore separationem esse desierunt, adeoq; per Resurrectionem cum reliquis mortalibus ad vitam revocabuntur. Neq; enim erunt aliquæ animæ humanæ sine corporibus in æternum, ut ipse Augustinus bene observat. Dicimus itaq; omnes istos fœtus formatos, qui verè vixerunt, in vitam certò revocatos iri, quæ assertio non

nostra

noſtra ſed Spiritus S. eſt, qui *per hominem* (inquit) *mors, & per hominem Mortuorum Reſurrectio*; &, *ſicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*, I. Cor. XV. 21, 22. Fœtus autem iſti, qui vel verè non vixerunt, vel homines veri non extitêre, neutiquam reſurgent, cùm non niſi veris hominibus, anima corporeq; quondam præditis promiſſa ſit Reſurrectio.

XXXVIII.

De UNGUIBUS etiam & PILIS quæſtionem movet Auguſtinus, Enchir. ad Laur. cap. LXXXIX. Utrumq; autem beatis corporibus denegare mallet, *ne quid ſcil. ſit in piis reſurgentibus indecorum. Non peribunt tamen nobis Reſurgentibus*, (ut alibi idem Auguſt.) *ſed in eandem carnem, ſervata partium congruentia, materiæ mutabilitate convertentur* Lib. XXII. de Civ. D. cap. 19. Si verò monſtroſam ſaltem illam Unguium & Pilorum omnium etiam reſectorum reſtitutionem (qua de loqui videtur Auguſtinus) Corporibus Glorioſis aliquis denegare vellet, omninò conſentiendum eſſe ſtatuimus, neuti-

neutiquam enim neceſſe eſt, ut quicquid vel per conſuram vel ſectionem detractum eſt, redintegretur. Aliàs Pilorum & unguium (ſi de juſta & decora eorum quantitate loquaris) reſtitutionem neutiquam impedit, quod ex humoribus excrementitiis producantur, cùm non ſolùm ad Corporis Glorioſi ornatum & decorem, (quâ de re orationem ſcripſit Dio Chryſoſtomus) verùm numericã etiam identitatem aliquo modo pertineant, unde eleganter Prudentius extrema ἀποθιώσει, carm. de Reſurr.

- - *Nec me vel dente vel ungue,*
Fraudatũ revomet patefacti foſſa ſepulchri.

Multo minus obſtat originis fœditas, hæc enim ſi attendatur, parili jure ipſorum etiam corporum Reſurrectio in dubium vocari poſſet. De humoribus etiam agit Auguſt. Epiſt. CXL. ad Conſent. In utramq; verò partem hâc de re diſputari poſſe ante ſeſquiſeculum circiter oſtendit Dominicus Dominicenus Venetus, Epiſcopus Torcellinus & Brixianus tractatu de *Sanguine Chriſti*. Extra controverſiam autem poſitum eſt, humores excrementitios, quiq; nutritioni ac generationi

tioni inſerviunt, uti Lac & Semen, Spirituali corpori neutiquam convenire.

XXXIX.

Quid verò de Corporibus MONSTROSIS ſtatuendum? *Numne & illa aptam & congruam membrorum diſpoſitionem ſunt acceptura?* Veriſimile eſt. *Neq; enim* (ita Auguſtinus cap. LXXXVII. Enchir.) *& monſtra quæ naſcuntur & vivunt* (quamlibet citò moriantur) *aut reſurrectura negabuntur, aut ita vitiata reſurrectura credenda ſunt, ac non potius correcta, emendataq; natura.* Quam in rem porrò de homine duplici in oriente nato: *Abſit* (inquit) *ut illum bimembrem, qui nuper natus eſt in oriente* (*de quo & fratres fideliſſimi, qui eum viderunt, retulerunt, & Sanctæ memoriæ Hieronymus Presbyter ſcriptum reliquit*) *Abſit inquam, ut unum hominem, duplicem, ac non potius duos* (*quod futurum fuerat, ſi gemini naſcerentur*) *reſurrecturos exiſtimemus. Ita cætera* (*quæ ſinguli quiq; partus vel amplius vel minus habendo, vel quadam nimia deformitate monſtra dicuntur*) *ad humanæ naturæ figuram in Reſurrectione revocabuntur: ita ut ſingulæ animæ ſingula corpora ſua*

ra sua obtineant, nullis cohærentibus, etiam quæcunq; cohærentia nata fuerant: sed seorsim sibi singulis sua membra gestantibus, quibus humani corporis completur integritas.

Circa hæc Augustini verba observamus (1.) illum ex Physicorum Regulis monstrum humanum appellare illud, quod ex humano semine præter naturæ ordinem gignitur, id quod (juxta Aristotelem Lib. II. Φυσ. ἀκροασ.) accidit vel ratione materiæ vel formæ; Materiæ quidem, si quid plus minusve sit in membris, quàm in reliquis ejusdem generis individuis esse soleat; Formæ verò ratione; si aliam in membris formam, situm, ordinem, locum & figuram habeat quam oporteat, sic Plutarch. Lib. V. cap. 8. de plac. Philos. Aliter autem Monstra ex Augurum sententia describit idem Augustinus Libro XXI. de Civ. Dei, cap 3. De utrisq; verò (tam materiæ quam formæ ratione monstris) quærit (2.) Augustinus, quomodo sint Resurrectura? statuitq;, correcta deformitate, & sublatis iis, quæ supersunt, vel additis, quæ iis desunt eosdē esse resurrecturos pulchros, formosos & integros homines. Nec enim (ut idem Au-

guſt. Lib. XXII. de Civ. D. cap. 19. ait) cùm iſta excrementa in nobis demuntur & tolluntur, ulla fit corporalis ſubſtantiæ diminutio. Atq; hanc ſententiam cum aliis avidè arripuit P. Lombardus Lib. IV. diſt. 44. Etſi ſeculo poſteriori eadem ita incerta fuerit dubieq; agitata, ut Anſelmus in Elucidar. ſibi neutiquam conſtiterit, ſed contrariam potiùs opinionem ſecutus fuerit. (3.) Hieronymi Teſtimoniũ (cujus mentionem fecit Auguſtinus) extat in Epiſt. ad Vitalem his verbis. *Num quia noſtra ætate duplex Lyddæ natus eſt homo duorum capitum, quatuor manuum, uno ventre, & duobus pedibus, omnes homines ita naſci neceſſe eſt?* Hinc bimembrem vocat Auguſtinus non quidem hermaphroditum, qui utriusq; naturæ fuerit, ſed quod membra duplicia habuerit. Aliâs ætate Mauricii Imp. alia monſtra in oriente nata deſcribit Nicephor. Lib. XII. Hiſt. Eccl. cap. 37. & Lib. XVIII. cap. 35. Eſt autem Lydda Urbs Judææ, de qua Act. IX, 35. (4.) Obiter notandum ad verba *vel minus* additum eſſe impreſſis: *Vel minus aliquid habendo*, ſed illud *aliquid* flocci eſt, ſenſumq; perturbat, ac pro mero gloſſemate eſt haben-

bendum, itaq; delendum, etsi in Manuscripto occurrat.

XL.

Sed nec Augustini solùm, verùm Tertulliani etiam ævo, sententia ista de futura monstrorum emendatione publicè propugnata fuit. Ille enim Lib. de Resurr. cap. 57. eandem non admittit solùm, verùm aliquot etiam argumentis strenuè defendit, ac (1.) quidem, quia cujusq; membri detruncatio mors membri est, si autem universalis mors resurrectione rescinditur, utiq; & portionalis. (2.) Vitiatio corporum accidens est, integritas propria, in quam nascimur, quomodo autem vita confertur à Deo, ita & refertur, &c. & (3.) deniq;, licet in utero etiam vitiemur, jam hominis hoc est passio, nos autem reddimur naturæ non injuriæ. Nec obstat etiam, quod illud ipsum quod digito monstratur, corpus, sit resurrecturum, cum monstrosæ ejusmodi deformitates non ad ipsam corporis substantiam, sed accidentia duntaxat, utpote situm, ordinem, locum & figuram sint referendæ. Intelligenda enim (ut ante præeunte Augustino diximus) mon-

ſtra illa ſunt, quæ hominis habuerint naturam, quo de conſtat ex capite, rationis videl. domicilio. Quæ verò corpore toto ab humana natura longius declinaverint, vel parte ejus ſuperiori beſtiam planè repræſentaverint, non corrigentur, quia non reſurgent, nó autem reſurgent, quia etſi ex homine nata ſint, homo tamen nó ſint, unde nec Sacri Baptiſmatis fonte abluí debent, quin & JCtis aſſerentibus in ipſo ſtatim ortu impunè ſuffocantur. Videndus Ludov. Carerius Tract. de Homic. n. 23. Concludimus cum ipſo tandem Auguſtino Lib. XXII. de Civ. D. cap. 15. *Abſit omnis deformitas, omnis tarditas, omnisq; corruptio, & ſi quid aliud illud non decet Regnum, in quo Reſurrectionis & promiſſionis filii æquales erunt Angelis Dei, ſi non corpore non ætate, certè felicitate.*

XLI.


Quæ verò hactenus de Abortivorum pariter ac Monſtroſorum corporum futura emendatione diximus; ea de ſolis electis intelligenda eſſe contendimus. Hos enim duntaxat à mutilis vel deformibus tum annatis, tum adventitiis defectibus liberandos eſſe credimus. Non enim im-

pro-


probanda h. l. est Durandi sententia, in IV. sent. dist. 44. art. 6. qui reprobos censet iisdem cum defectibus ac vitiis resurrecturos, quæ habuerunt in hâc vita: Ut quæ non disconveniant eorum conditioni. Insuper, cum vitia eorum Naturalia pertineant ad calamitatis augmentum, ratio nulla subest, cur defectus in impiis debeant removeri. Contrariam sententiam secutus est Thomas in illud Apostoli: *Et mortui resurgent incorrupti I. Cor. XV.* Rectiùs tamen Hieronymus verba ista interpretatur de statu immortalitatis, eò quod ἄφθαρτοι, quod in Græco est, *incorruptibiles* notet, hancq; solam Incorruptibilitatis dotem cum piis communem habebunt & impii, ut scil. sufficiant æternis pœnis sustinendis. Etsi verò corpora Impiorum futura sunt Incorruptibilia, non habebunt tamen immutationem in melius, quia erunt dedecori omni carni, Es. LXVI, 24. Et Pauli istud 1. Cor. XV. 52. *Nos immutabimur;* ad solos pios & fideles referendum est. Itaq; utrocumq; piorum & impiorum erit duratio & ὕπαρξις sive existentia perpetua & sempiterna. *Nec moveat, quomodo in eis* (verba Au-

ba Auguſtini ſunt Enchir. cap. XCII.) *corpus erit incorruptibile, ſi dolere poterit. Non eſt enim vera vita, niſi ubi feliciter vivitur, nec vera incorruptio, niſi ubi Salus nullo dolore corrumpitur.* Qui verò aut quales in Cæteris impii ſint futuri, nihil nos tenere debet anxios. Erunt uno verbo *Miſerrimi.* Valdè etiam probabile eſt, ut quemadmodum ii, qui Templa fuêre Spiritus S. corpora recepturi ſunt decora ac ſplendentia, ita qui Dæmonis extitêre ſacraria, corpora habituros tetra ac deformia. Idem cenſet B. Ephrem, Serm. de Reſurr. *Juſtorum*, inquit, *corpora ſeptuplum ſupra Solis fulgebunt radiis, peccatorum verò tenebroſa invenientur & fœtore plena.* Interim (ut egregiè Auguſt. Enchir. cap. XCII.) *fatigare nos non debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & ſempiterna Damnatio.*

A. T. O.




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [129] - -
PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [130] - -

PUBLIC DOMAIN


GWLB Hannover
036 828 076
35
I 688

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [131] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [132] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 5;Leibn. Marg. 72, [133] - -